



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

Liber LI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)



# HISTORIA ECCLESIASTICA. LIBER LI.

NICOLAUS I. PAPA.  
LUDOVICUS II. IMPERATOR OCC.  
MICHAEL III. IMP. ORIENT.

§. I.

*Michaelis fata. Basilius Imperator.*

**M**ichael Imperator post brevissimum Sæculum IX.  
temporis spatium Basili, quem ad A. C. 867.  
Imperii consortium adsciverat, Post. Theo.  
prudentiam fastidire cœpit. Is enim IV. n. 43. 44.  
turpem licentiam & impios jocos abomi- Constant. in  
nans Michaellem ab infamia abducere Basil. n. 25.  
conabatur; sed ille, importunum præce- 26. Et c.  
ptorem

Sæculum IX. ptorem exosus, aliquando quemdam Ba  
A. C. 867. silicinum, purpura, diademate & vestitu

Cæsareo ornatum, manu in Senatum ducit egregiam viri speciem commendans & dicens: *Jam pridem oportebat, amici, vivum hunc ad Imperium perduxisse potius, quam Basilium, cujus me nunc poenitet.* Ipso ita loquente, omnes primum mirari, mox indignari, quod Michael alium sibi, quoties ipse insaniret, Dominum cogitaret obtrudere. Ceterum, cum vino intemperate sæpissime uteretur, quo tempore ebrius erat, præcipiebat, huic aures, alii nares, alii caput amputari; id tamen familiares non exequabantur, sperantes, quod etiam futurum erat, ipsum mandatorum poenitentiam subituram. Tandem Basilium, venationi intentum jaculo perfodi jussit, sed, cum facinori abfuisset fortuna, Basilium ab amicis monitus Michaelem vino se se ingurgitantem in Palatio S. Mamantis vigesima quarta Sept. Indictione prima anno 867. a conjuratis excubitoribus interfici imperat, postquam annis viginti sex ab obitu parentis sui, nempe cum matre quatuordecim, solus undecim, & cum Basilio mensibus quindecim regnasset.

*Sup. lib.*  
*XLVIII.*  
*§. 4.*

*Zonar. lib.*  
*XVI. §. 6.*

Basilium sublato Michaeli solus rerum potitus, gente Macedo erat, humili loco natus, quamvis postea adulescentes ipsius genus ab Arfacidis, Parthorum Regibus

gibus, deduxerint. Illud satis exploratum est, eum Constantinopolim venisse pedibus, solum, omnia sua secum portantem, ut exploraret, an forsan in illa sibi civitate magis quam alibi fortuna fa-  
 veret. Primo in familiam Theophylicii, qui Bardam Cæsarem sanguine contingebat, adlectus, equis præficitur. Vires corporis deinde & in equis domitandis solertia ita Michaeli Imperatori advenam commendarunt, ut eum sibi deposceret, & Protostratorem seu Stabulorum præfectum constitueret. Tum etiam a cubiculis Michaeli fuit; exinde Patricius & Magister officiorum creatus, tandem Imperii consors deligitur. Idem Basilus ob capitis magnitudinem cognomento *Cephalas*, vulgo Macedo dicitur.

## §. II.

*Ignatius Constantinopoli restituitur.*

Basilus, postero die quam renunciatus esset Imperator, Photium e throno patriarchali deturbatum in Cænobium *Scepen* appellatum ejicit. Die sequente misso Elia Drungario, id est, Classis Præfecto, cum triremi prætoriam jubet Ignatium Patriarcham ex Insula, exilii suo loco, evocari, & Constantinopolim deduci, ubi, donec restitueretur in Sedem suam, eidem Palatium Magnauræ, domum ipsius patriam, dedit. Tum Impera-

Sæculum IX.  
A. C. 867.*Const. Basil.*  
n. 9.*Nicet. in*  
*Ignat. p.*  
1226.

Sæculum IX. A. C. 867. perator ad Photium mittit, qui suo nomine præciperent, ut sine mora omnes subscriptiones ab Episcopis exactas & cum e Palatio discederet, ablatas redderet. Photius adjecto juramento edixit, sibi, cum illi, qui ad se e palatio ejicientum venissent, abitum inhumane urgerent, haud licuisse ejusmodi paginas asportare. Ipso autem Præfecto Baani hæc respondente, famuli deprehensi & trepidantes septem sarcinas sigillis plumbis munitas in virgulta palustria projiciunt, quod ubi Baanis comites conspexerunt, collectas ad Imperatorem detulerunt. His apertis inventi sunt duo libri foris auro argentoque cælati, compactura violacei coloris. Intus scriptura visebatur mira arte & elegantissimis litteris. Unus vero codex contra Ignatium Acta Concilii conficta continebat, & alter epistolam Synodicam contra Nicolaum Papam.

Concilium hoc commentitium in septem Sessiones dividebatur, & in cujuslibet principio visebantur imagines opere miniato, artifice Gregorio Asbesta Episcopo Syracusano, qui pingendi peritus erat. In prima imagine conspiciebatur Ignatius, raptatus, & virgis cæsus, habens supra caput inscriptionem: *Ho Diabolos*, id est Detractor. In secunda imagine iterum raptabatur violenter, & sputis expuentium foedabatur, cum epigraphæ:

graphie: *Initium peccati*. In tertia, de Sæculum IX. A. C. 867.  
 ponebatur, & legebatur inscriptio: *Fi-*  
*lius perditionis*. In quarta, mittebatur Eccl. 10, 5. 2. Theff. 2, 3.  
 in exilium, cum inscriptione: *Avaritia*  
*Simonis Magi*. Imago quinta exhibebat  
 Ignatium circa collum vinculis ferreis  
 onustum cum epigraphe: *Qui extollitur*  
*supra omne, quod dicitur Deus, aut quod*  
*colitur*. In sexta, damnabatur, & lege-  
 bantur verba: *Abominatio Desolationis*.  
 In septima rursus raptabatur, & capite  
 plectebatur, cum epigraphe: *Antichri-*  
*stus*. In his Actis continebatur Accusa-  
 tio Ignatii, quæ referebat articulos quin-  
 quaginta, omnes manifeste commentiti-  
 os, & post quemlibet articulum reli-  
 ctus erat locus vacuus, ut unusquisque,  
 quod liberet, inferere posset.

Epistola Synodalis in altero volumi-  
 ne contenta conviciis & calumniis in  
 Nicolaum Papam respergebatur, quam  
 nempe Photius commentus fuerat, tan-  
 quam Depositionis, & anathematis in  
 Pontificem pronunciati fundamentum.  
 Duo autem istorum librorum exemplaria  
 conscribi jusserat, quorum unum apud se  
 retinuerat, alterum Imperatori Ludovi-  
 co in Italiam per manus Zachariæ &  
 Theodori transmiserat; sed illi in itine-  
 re comprehensi sunt, jubente Basilio Im-  
 peratore, qui quatuor volumina ad se de-  
 ferri præcipiens, ea Senatui primo & de-  
 inde

*Sup. lib. L.*  
*§. 43.*  
*Photii frau-*  
*des.*

Saeculum IX. inde toti Ecclesiae ostendit, atque ita  
A. C. 867. Photii dolosas machinationes in lucem  
 protraxit, cunctis viri impudentiam ve-  
 hementer admirantibus. Volumina ve-  
 ro in Palatio asservari mandavit.

*Metroph.*  
 p. 1389.  
 p. 1230.  
*Sup. lib. L.*  
 §. 2.

Die Dominica, vigesima tertia No-  
 vembris eodem anno octingentesimo sex-  
 xagesimo septimo Basilius Imperator,  
 convocato in Magnauræ Palatio conven-  
 tu, Ignatium Patriarcham praesentem  
 magnis laudibus extollit. Nempe is ea-  
 dem die ante annos novem ejectus fue-  
 rat; itaque illa die rursus ad suam Ec-  
 clesiam inter omnium ordinum plausus  
 regreditur. Cum Missa celebraretur,  
 Sacerdote illa praefationis verba pronun-  
 ciantes, *Gratias agamus Domino*, popu-  
 lus respondit: *Dignum & justum est*,  
 quod omnes in optimum omen traxe-  
 xerunt; nam istud benevolentiae signum  
 Graecos curiose observasse in eorum Fa-  
 ctis sapissime legitur. Ignatius suae Se-  
 di restitutus non Photium modo, & ab  
 ipso ordinatos, verum etiam omnes, qui  
 cum eo communicaverant, a Sacris sus-  
 pendit, rogavitque Imperatorem, ut in-  
 diceret Concilium Oecumenicum, quod  
 tot scandala tolleret. Ergo protinus Ro-  
 mam (\*) mittitur Euthymius Spatharius  
 Impe-

*Ep. Hadr.*  
 to. 8. Conc.  
 p. 1086.

(\*) Ex his contra Protestantes probatur,  
 Com-

Imperatoris Basilii cum epistola; quæ Sæculum IX.  
A.C. 867.  
vero ad nostram usque ætatem non per-  
venit.

Basilii Imperator in Orientem quo-  
que misit, qui accerferent Legatos, no-  
mine trium Patriarcharum Alexandrini,  
Antiocheni, & Jerosolymitani Concilio  
interfuturos; quamobrem ad eum, qui  
in Syria copiis \* præerat, per Isaiam & \* nempe Sa-  
Spiridionem, in Cypro natos, litteras & racenorum.  
vit. Ign. p.  
1230.  
munera direxit. Theodosius Patriar-  
cha Jerosolymitanus Eliam misit Syncel-  
lum suum. At Sede Antiochena vacan-  
te Thomas Archiepiscopus Tyriensis, qui  
primum post Patriarcham locum tene-  
bat, ad Concilium venit. Duo autem  
hi Legati Thomas, & Elias Constantino-  
poli ultra anni spatium commorati sunt,  
adventum Legatorum Pontificiorum ex-  
pectantes. Ultimus misit etiam Patriar-  
cha Alexandrinus, cujus Legatus Con-  
cilio prope ad finem deducto advenit.

§. III.

*Ecclesiæ Orientales.*

Patriarcha hic Melchita Alexandrinus Entych to. 2.  
p. 455.  
tunc erat Michael, Successor Sophro-  
nii

Communionem inter Ecclesias Constantinopoli-  
tanam & Romanam adhuc viguisse, & Græcos  
credidisse, sine Auctoritate Romani Pontificis  
Concilium Oecumenicum celebrari non posse.

*Hist. Eccles. Tom. XII. Q*



Sæculum IX. nii, anno Hegiræ 333. Jesu Christi 847.  
 A. C. 867. defuncti. Michael annis viginti quatuor  
 usque ad annum 872. Sedem tenuit. Jo-  
 sepho Patriarchæ Jacobitæ Alexandrino  
 anno Hegiræ 242. Salutis 856. defuncto  
 successerat *Chail* seu Michael, qui Se-  
 dem non plus septendecim mensibus te-  
 nuit, & omnium primus in Monasterio  
 S. Macarii anno 244. seu 858. sepultus  
 est. Ei successit *Cosmus* ejusdem Mo-  
 nasterii Presbyter, quo sedente Civi-  
 tatem Alexandriæ *Damietæ* & multarum  
 aliarum muri reparati. Is Sedem tenuit  
 annis septem, missaque epistola sua Sy-  
 nodica ad Joannem Patriarcham Jacobi-  
 tam Antiochenum, ab eo responsum acce-  
 pit. Ipso sedente Califa *Mutevaquel* ve-  
 tuit, ne Christiani & Judæi vestibus albis  
 uterentur. *Cosmus* e vivis abiit anno  
 252. seu 866. & successit *Osanius*, alio  
 nomine *Sanut*, ex eodem Monasterio S.  
 Macarii evocatus, qui Sedem tenuit an-  
 nis undecim. *Osanius* convertit quos-  
 dam Hæreticos, passionem Domini No-  
 stri negantes, recepit, baptizavit, in ipso-  
 rum Ecclesiis prædicavit, misitque nua-  
 cios, qui hac de re Patriarcham Antio-  
 chenum certiolem facerent; quod is  
 maximo gaudio percepit. *Sanut* aquam  
 dulcem per canales subterraneos in Ci-  
 vitatem Alexandrinam deduci curavit.  
 Antiochiæ mortuo Jobo Patriarcha Mel-  
 chita,

*Sup. lib.*

XLVIII.

§. 3.

*Elmac. l. II.*

c. 9.

*Chr. Orie.*

p. 110.

chita, ordinatus est Nicolaus anno 844. Sæculum IX.  
A. C. 867.  
 qui postquam sedisset annis viginti tri-  
 bus anno 867. naturæ debitum solvit. Elmac. p.  
161.  
 Ipso elato Sedes annis tribus vacavit,  
 nec ante annum primum Califæ *Mota-*  
*mid*, nempe annum reparatæ Salutis 870. Eutych. p.  
444.  
 alius electus fuit. Jerosolymæ post Joan-  
 nem Patriarcham Sergius Sedem tenuit ibid. p. 470.  
p. 444.  
 annis sexdecim, tum Salomon annis quin-  
 que, deinde Theodosius anno primo Ca-  
 lifæ *Motaz*, nempe anno Christi 866. or-  
 dinatus est, atque annis quatuordecim  
 sedit. p. 445.

Res autem Musulmannorum ita se Sup. lib.  
XLVIII.  
 habebant. Aaron cognomento *Aluatec*  
 seu *Katecbilla Mutazem* parenti suo anno S. 2.  
Elmac. l. II.  
 Hegiræ 227. seu 842. Jesu Christi suc-  
 cessit, regnavit annis quinque, & præ-  
 cociter fato ereptus est, quod mulierum usui  
 temperare noluisse, anno 231. seu 846.  
 Defuncto successit *Jaffar* frater, cogno-  
 miento *Mutevaquel*, quem, postquam re-  
 gnasset annis prope quindecim, ebrieta-  
 te gravem filius suus Mahomet jussit in-  
 terfici, successitque parenti occiso, an-  
 no 247. seu 861. Sed Mahometi cogno-  
 miento *Monstanser* non diu parricidii præ-  
 mio frui licuit, quippe obiit anno sequen-  
 te 248. seu 862. Successorem habuit c. 12.  
 Achmet, cognomento *Mustain*, Califæ  
*Mutazem* nepos. Is regnavit annis duo-  
 bus & vita exutus est anno 251. seu 865. c. 13.

Q 2

cui

Sæculum IX. cui in regno successit Mahomet Califæ  
 A. C. 867.

Mutevaquel filius, cognomento *Mutaz*,  
 seu potius *Almutaz billa*; tunc enim,  
 cum Califæ eligerentur, magnifici eis ti-  
 tuli dabantur, addito in fine Dei nomi-  
 ne, sub quibus posteritati maxime noti  
 sunt. Mutazius, ineunte anno 252. Sa-  
 luti 866. receptus, imperavit annis tri-  
 bus. Is crudelitate in fratrem, qui sibi  
 fuerat substitutus, potestatis primum ex-  
 perimentum capiens carceri eum inclu-  
 di iussit, & deinde strangulari. Tales  
 erant hi Principes, Religionis Musulman-  
 norum Capita, leves, crudeles, foedis  
 immerfi voluptatibus, præfectorum suo-  
 rum arbitrio obnoxii. Regnante Muta-  
 zio tota penes Turcas erat auctoritas,  
 quorum favore munitus Achmet (huius  
 parens *Tolun*, turcicum mancipium Ca-  
 lifæ Almamon servierat) Præfecturam  
 Ægypti accepit. Achmet Bagdati anno  
 220. seu Christi octingentesimo trigesi-  
 mo quinto natus, magno animo vir, ab-  
 jecta Turcarum rusticitate, munificenti-  
 a claruit, atque Ægyptum Syriamque per  
 annos quindecim summa potestate gu-  
 bernavit. Ille etiam haud dubie fuerit,  
 a quo Basilius Imperator Legatis licen-  
 tiam ex Oriente Constantinopolim pro-  
 ficiscendi petiit.

*Elmac. p.*  
 160. 173.  
*Abulfar. p.*  
 175.

## §. IV.

Sæculum IX.  
A. C. 867.*S. Nicolaus Studita.*

Cum Ignatio Patriarcha omnes illi quoque, quos Photius exilio damnaverat, vel in carceres tanquam ipsius fautores miserat, & inter alios Nicolaus Studita, *Sup. lib. XLVI. §.* fidelis ille S. Theodori Discipulus, *19. 39.* cujus supra mentionem fecimus, revocati. Is *anno circiter 793.* in Insula Creta Cidonix, quæ hodie Canea dicitur, natus, *vit. c. 2. auct. Combef. p. 894. ap. Boll. 4. Febr. to. 3. p. 538.* decennis Constantinopolim mittitur, ut in Monasterio Studiensi sub cura Theophanis patru sui ibidem Monachi educaretur. Hunc igitur Theodorus Abbas aliis pueris in domo Monasterio vicina sed separata, ubi alebantur, junxit, cumque adolescentulum magnis passibus in via virtutum procedere cerneret, habitu Monastico mature induit. Vidimus supra sub persecutione Leonis Armeni Iconoclastæ Nicolaum ipsius fidum socium in exilio, in carceribus, in ærumnis extitisse. *Sup. lib. XLIX. §. 19. 39. n. 43.* Theodorum deinde a Michael Balbo ex exilio revocatum Nicolaus Sanctum Magistrum suum in diversa loca, quo se recepit, secutus, atque illo tempore jubente Abbate & tota Congregatione rogante Presbyter invitatus ordinatus est. Exinde tamen nihilominus laboris manuum fuit amantissimus, præsertim in describendis libris, nam ex-

Sæculum IX. pedite & eleganter litteras efforma-  
A. C. 867. bat.

*Sup. lib.*  
*XLVII.*  
*§. 16.*

Cydonia a Saracenis capta, cum regnante Michaelē Balbo Insulam Cretam suæ potestati subjecerunt, Titus Nicolai frater Constantinopolim profectus triste nuncium fratri pertulit; sed vehementer admirans, quam parum Nicolaus patriæ ruina & parentum captivitate tangeretur, ipse quoque relictis mundi curis in eodem Monasterio permanere statuit.

Postquam S. Theodorus in Domino obdormivisset, Nicolaum apud sepulchrum Magistri in Insula Principis commemorantem, renovata ab Imperatore Theophilo persecutio ad mutandam sedem sæpius compulit, atque etiam hoc persecutore defuncto adhucdum per aliquot annos in solitudine vitam degit. Verum Naucratiō, qui S. Theodoro in regimine Monasterii Studiēsis successerat fati functo anno 848. a tota Congregatione Abbas electus, onus recusare non potuit; quo post trium annorum lapsū deposito, & Sophronio, consentiente Ignatio Patriarcha, sibi ipsi suffecto, ad solitudinem rediit. Attamen post annos quatuor, cum Sophronius ex hac vita migrasset, Nicolaus Abbatiale officium in Monasterio Studiēsi secundo suscipere anno octingentesimo quinquagesimo quinto cogitur.

Pho-

Photio Sedem Constantinopolitanam Sæculum IX.  
A. C. 867.  
 invadente, Nicolaus ipsius Communio-  
 nem fugiturus, cum fratre suo Tito in  
 quoddam hospitium Monasterii sui Pre-  
 nete prope Nicomediam positum se rece-  
 pit; cujus discessus rumore totam Civi-  
 tatem Constantinopolitanam, nam Abba-  
 tis Studiensis Dignitas & viri merita  
 magnam ei auctoritatem conciliabant,  
 pervagante, Bardas Cæsar Prenetem se  
 contulit atque ipsum Michaellem Impe-  
 ratorem illo deduxit. Cumque lenibus  
 verbis in suam sententiam pertrahere  
 nequivissent, discedentes miserunt, qui  
 ei significarent, nolle se, ut in quoquam  
 Hospitio ad Monasterium Studiense per-  
 tinente moraretur. Ergo Nicolaus se  
 abscondere, & sæpe de loco in alium mi-  
 grare compellitur. Tandem jubente  
 Barda in suum Monasterium Studiense  
 reductus, captivus tenetur sub regimine  
 Sabæ Callistrati, qui tunc post Theodo-  
 rum Santabarenum Abbatis munus ge-  
 rebat.

Basilus Imperator, Ignatio Patriar-  
 cha restituto, Nicolaum quoque libera-  
 vit, tumque tam ab Imperatore, quam a  
 Patriarcha rogatus, Abbatiale onus in  
 suo monasterio tertio subiit, etsi enim of-  
 ficium difficile recusaret, quod senili æta-  
 te & infirmitatibus, quas multæ ærumnæ  
 auxissent, premeretur, id Principis ta-

Sæculum IX. men & Præfulis sui desiderio dandum  
A. C. 867. fuit. Sæpe in Palatium ab Imperatore  
 vocatus, multa sciscitantem leni collo-  
 quio & simplici indole recreabat. Post-  
 quam vero ultimum restitutus fuisset,  
 aliquot mensibus tantum superstes fuit,  
 & quarta Februarii, annos natus septua-  
 ginta quinque, anno Salutis 868. editis  
 compluribus miraculis sanctam vitam  
 clausit, sepultusque est penes Theodo-  
 rum & Naukratium Antecessores suos.  
 Ecclesia Græca ipsius memoriam in die  
 obitus colit.

## §. V.

*Concilium Trecense.*

**I**n Francia Concilium Trecense præstita-  
 ta die vigesima quinta Octobris an-  
 no octingentesimo sexagesimo septimo  
 celebratum. Episcopi quidem Regno-  
 rum Caroli & Lotharii Episcopos ex re-  
 gno Ludovici, id est ex Germania, ad hoc  
 Concilium invitaverant, data epistola, in  
 qua conventus celebrandi causas signifi-  
 cabant in hunc modum: *Expilantur Ec-  
 clesie, Episcopi contemnuntur, opprimuntur  
 populi. Piissime statutum fuerat, bis  
 per annum Synodos celebrare; verum ex-  
 inde augentur mala, quia raro conveniunt  
 Episcopi, & hostes Ecclesie Ministros  
 Christi dividere adnituntur. Plurimum  
 itaque nostra interest, ut Concilium Ge-  
 nerale*

nerale habeamus, ad quod celebrandum invitamus vos ex consensu Regum nostrorum, qui ad vos mittunt Fratrem nostrum Adventium Episcopum, ut etiam a Rege vestro consensum impetret. Nihilominus hæc invitatio nihil profuit, quippe in hoc Concilio præsentibus Episcopos non plures numeramus quam viginti, & ex Caroli atque Lotharii solummodo regnis. Aderant Archiepiscopi sex, Hincmarus Remensis, Herardus Turonensis, Venilo Rotomagensis, Frotrarius Burdegalensis, Egilo Senonensis, & Wulfadus Bituricensis. Episcopi præ ceteris memorandi fuere Rotadus Suesionensis, Actardus Nannetensis, Æneas Parisiensis, & Odo Bellovacensis.

In eo Concilio quidam Episcopi Wulfado faventes, ut adularentur Regi Carolo, contra Hincmarum aliquas Quæstiones movere cœperunt; nempe ejus Ordinationem, & Ebbonis Depositionem rursus ad examen vocare parabant. At cum Hincmarus & ratione & auctoritate Canonum strenue se defenderet, secundum sententiam plurimorum statutum, ut hæc quæstiones non tangerentur, sed solummodo ea, quæ acta erant, sicut petierat, ad Summum Pontificem deferrentur. Hæc dispicimus ex Concilii epistola Synodali, in qua tota causa Ebbonis amplissime refertur, & repetuntur ea,

Sæculum IX.  
A. C. 867.

p. 875

Ann. Bert.  
867.  
Flod. III.  
c. 17.

Conc. p. 870.  
Sup. lib.  
XLVIII.  
p. 38.

Q 5

ea,



Sæculum IX. ea, quæ in exauctoratione Ludovici Pi  
 A. C. 867. acta sunt, usque ad Concilium Treviris  
 a Lothario Imperatore anno octingente-  
 Concilium simo quadragesimo sexto indictum. In  
 Trecense. fine rogant Pontificem, ne ea, quæ An-  
*Sup. lib.* tecessores sui decrevissent, retractet, &  
 XLVIII. imposterum non patiat, ut Episcopus  
 §. 33. sine consensu Sacræ Sedis, secundum De-  
 cretales Pontificum, deponatur. Itaque  
 Episcopi Franciæ & ipse Hincmarus se  
 ipsos juri falsarum Decretalium, adver-  
 sus quas acerrime disputaverant, subji-  
 ciebant. Tandem Wulfado Pallium con-  
 cedi rogabant.

Actardo Episcopo Nannetensi com-  
 missum, hanc epistolam Romam deferre.  
 Sed prius Regem Carolum adiit, qui eum  
 ad se venire jusserat, & epistolam Syno-  
 dalem exhibere; mox fractis Archiepi-  
 scoporum sigillis, quibus munita erat,  
 eam legit, cumque Hincmaro nimium  
 favere videretur, aliam suo nomine ad  
 Pontificem exarari curavit, in qua ab  
 origine Ebbonis causa repetitur, omnia  
 quæ Ebboni favent, & ex consequente  
 etiam Wulfado, approbantur, & ejus  
 Depositionem nullam fuisse, conficitur.  
 Excusat in eadem epistola Rex, quod re-  
 rum necessitate ita exigente Wulfadum  
 prius Archiepiscopum Bituricensem con-  
 secrari jussisset, quam rediisset Egilo, &  
 Pallium ipsi dari petit. Tandem Actardum  
 Episco-

Episcopum Papæ dilaudat: *Optimus vir, Sæculum IX.*  
 inquit, *exilium, vincula, maris discrimi-*  
*na, sex centa pericula in vicinia Britonum*  
*& Normannorum sustinuit, & quia spes*  
*nulla superest, ipsum Ecclesiæ suæ restitui*  
*posse, gratissimum nobis fieret, si ad aliam*  
*vacantem vocaretur. Ceterum proposi-*  
*tum sibi habet, aliquamdiu Romæ commo-*  
*rari, ubi si Britones illo veniant, eos con-*  
*vincat, maximum suæ vicinisque Eccle-*  
*siis illatum fuisse damnum, & postulet, ut*  
*auctoritate Sacræ Sedis coerceantur.*

A. C. 867.

Hincmarus quoque, Actardum Epi-  
 scopum, data epistola, quam ei ad Ana-  
 stasium Abbatem & Ecclesiæ Romanæ  
 Bibliothecarium deferendam commisit,  
 Pontifici commendavit. In illa epistola *Hincmar.*  
 queritur, Papam in ultimo rescripto ver-  
 ba sua aliter retulisse, ac ipse scripsisset; *opusc. 57.*  
 hinc ne quis etiam litteras Concilii Tre-  
 centis adulteret, Anastasium monet, ab *to. 2. p. 824.*  
 Actardo deferri Acta genuina, rogat-  
 que, ut aliqua acta, ad causam Ebbonis  
 pertinentia, cum Romanis exemplaribus  
 conferat. Excusat, quod dona conve-  
 nientia Papæ, Arsenio quondam in Fran-  
 cia Legato, & ipsi Anastasio non mittat.  
 Unde cognoscimus, morem non fuisse,  
 quemquam sine donis Romam mittere.

§. VI.

Sæculum IX.  
A.C. 867.

§. VI.

Rescriptum Papæ ad ea quæ Græci  
objiciebant.

Ann. Bert.  
867. &  
Flod. III.  
c. 17.  
epist. 70.  
to. 8. Conc.  
p. 408.

Sub idem tempus, quo Concilium Tre-  
cis celebrabatur, Nicolaus Papa Cle-  
ricos, ab Hincmaro mense Julio sibi mis-  
sos, ad eum redire jussit cum epistola,  
qua ipsius facta sibi probari significat.  
Addidit epistolam alteram majoris mo-  
menti, non solum ad Hincmarum, sed  
etiam ad omnes Episcopos in Regno Ca-  
roli directam, in qua dicit: *Inter alia,  
quæ nos immensis laboribus inserunt, illa  
nos præcipue commovent, quæ nobis a Græ-  
corum Imperatoribus Michaele & Basili-  
o (\*) nequiter ingeruntur. Hi enim  
contra nos odio & invidia accensi Hære-  
sim nobis impingere moliantur. Odio  
quidem, quia Photii adulteri Ordinationem  
damnavimus, invidia vero, quia Rex  
Bulgarorum a Sede Beati Petri Doctrinam  
& Prædicatores petiit. Volunt scilicet,  
hunc populum sub prætextu Religionis  
callide suo imperio subjicere, & talia  
de Sancta Romana Ecclesia consingunt,  
quæ homines adhuc dum in Fide rudes a nobis  
possunt avertere. Et infra: Reprehendunt,  
quod*

(\*) Nempe Summus Pontifex, Basilium Caesarem in iis, quæ ad Religionem pertinebant, Michaeli consentire, præsumebat,

quod jejunemus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus. Communiſcuntur præterea, nos abominari nuptias, quia Presbyteris accipere conjuges prohibemus. Erroris nos insimulant, quod iisdem Presbyteris, Baptizatorum frontem Chrismate linire, non permittamus, nosque Chrisma ex aqua fluminis conficere calumniantur. Carpunt etiam, quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, & septem hebdomadibus a casei & ovorum esu more ipsorum non abſineamus. Alia scripta indicio sunt, quod mentiantur, nos Agnum in Pascha, more Judæorum, super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicere & offerre. Reprehendunt, quod apud nos Clerici barbam sibi radi non abnuant, & quod Diaconus non suscepto Presbyteratus officio (\*) Episcopus ordinetur. Item, quod  
gravius

Sæculum IX.  
A. C. 867.

p. 472.

(\*) Diaconi per saltum in Episcopum ordinati exemplum satis exploratum nec in Ecclesia Orientali, nec Occidentali ostendi potest. A quibusdam equidem affertur exemplum Cæciliani Carthaginensis in Sæc. IV. Fleur. Lib. IX. p. 875. dicentis: *Ordinent me ipsi (in Episcopum) quasi adhuc Diaconus essem.* Sed ad hoc respondet Ludovicus Thomafinus in Vet. & Nov. Eccles. Discipl. P. I. L. II. cap. 36. *At nihil hic est, quo diserte asseratur Cæcilianus non in eadem Sacrificii Solemnitate ordinatus fuisse Presby-*

Sæculum IX. *gravius est, usque adeo insaniunt, ut nostris Legatis voluerint exigere fidei libellum, in quo omnes isti articuli anathematizarentur, & improbe petierint, ut epistolas canonicas a Pseudo-Patriarcha suo Oecumenico acciperent. Cum igitur constet, omnes Occidentis Provincias in his articulis cum Sede S. Petri consensisse, conjunctis viribus ad repellendas calumnias accingamur. Unde unusquisque vestrum, qui jura Metropolitana sortitus est, convocatis Suffraganeis suis, cum illis deliberet, quid invidis detractionibus opponere necesse sit, & ad nos ocius transmittat, ut illud nostris responsis adjunctum in*

Orien-

*Presbyter, qua Episcopus. Ad Photii vero objectiones respondet ibid. clariss. Aucl. Verum etsi iniqua illa Græcorum reprehensio est, vel ea tamen id evincitur, ab ea illos consuetudines alienissimos fuisse, cujus suspicionem Latini a se & accusationem facile propulsabant. Innoxium & pulchrum est, quod idem affert Thomasinus ex Rosvveidi vit. PP. de quodam Scriptore Græco ita differente: Factus est Lector (Jesus Christus) accipiens Librum legit in Synagoga. Factus est Subdiaconus. Faciens namque de sua flagellum omnes ejecit de templo, oves, & boves &c. Factus est Diaconus. Præcingens se namque linteo lavit pedes Discipulorum suorum. Factus est Presbyter. Et resedit in medio Magistrorum docens. Factus est Episcopus. Et accipiens panem benedixit ac fregit.*

Oriente[m] dirigamus. Evidenter autem <sup>Sæculum IX.</sup>  
 dispicitur, aliqua falsa esse, quæ nobis ob- <sup>A. C. 867.</sup>  
 jiciunt, alia a priscis temporibus Romæ  
 & in toto Occidente ab omnibus semper-  
 que observata. Sed non est obstupescendi  
 locus, quod Græci has Traditiones audeant  
 rejicere, cum dicere non erubescant; quan-  
 do de Romana urbe Imperatores Constan-  
 tinopolim fuissent translati, tunc & Pri-  
 matum Romanæ Ecclesiæ ejusdemque Pri-  
 vilegia ad Ecclesiam Constantinopoli-  
 nam commigrasse, ita ut Photius in Scri-  
 ptis suis se Archiepiscopum & Patriar-  
 cham universalem appellet. Hic primo (\*)  
 mihi

p. 472:

(\*) Hic primo occurrit, quæ nimium fero  
 Græcis incidit argutia; nam diu postquam Im-  
 peratores Sedem Roma Byzantium transtulissent,  
 tota Ecclesia Constantinopolitana, ipsique Pa-  
 triarchæ, se Primatui Ecclesiæ Romanæ subjectos  
 confessi sunt, quod ex Historiâ hætenus perspe-  
 ximus. Ut vero hic unum saltem afferamus  
 hujus rei exemplum, illa memoria repetamus,  
 quæ sedente S. Gregorio Magno gesta sunt.  
 Anno circiter 595. de Joanne Jejunatore Archi-  
 episcopo Constantinopolitano, illo ipso, qui pri-  
 mus Titulum Oecumenici sibi arrogavit, Tom.  
 VIII. Lib. XXXV. §. XXXIX. hæc leguntur: Mi-  
 sit Joannes S. Gregorio Acta cujusdam judi-  
 cii, quod contra Presbyterum Hæresis accusa-  
 tum pronunciaverat, in quibus singulas ferma-  
 lineas Titulum Patriarchæ Oecumenici sibi ipsi  
 tribue-

Sæculum IX. mihi occurrit hæc Græcorum jactantia,  
 A. C. 867. disertis verbis exposita, Schismatis fun-  
 damentum. Tum Papa profequitur:

p. 473.

*Cuperemus quidem, vos cum ceteris  
 Episcopis ad examinandam banc causam  
 Romam convocare posse, si publicæ calamita-  
 tates permetterent; sed nihil causæ est,  
 quo minus domi banc doctrinam pensetis.  
 Et vestram deinde opinionem nobis aperiat-  
 tis. Ceterum Græci has criminationes  
 solum retorquendo adhibent. Propria er-  
 rata emendare nolunt, hinc irascendi oc-  
 casio. Priusquam Legatos nostros ad ipsos  
 misisse-*

tribuebat. Et infra §. XLIV. *His omnibus in  
 Concilio Romano ex Actis illius judicii demon-  
 stratis . . . . Sanctus Gregorius Papa sen-  
 tentiam Judicum, quos Patriarcha Constanti-  
 nopolitanus constituerat, nullam pronuntiavit.  
 Et Joannem Presbyterum absolutum dimisit.*  
 His Fleurius Reflexionem opportunissime addidit:  
*Illud etiam et imprimis memoriæ mandandum,  
 Papam actum Jurisdictionis in Patriarcham  
 Constantinopolitanum exercuisse illo ipso tempo-  
 re, quo se Episcopum Universalem jactabat.  
 Nam ejusdem jurisdictioni ille Patriarcha  
 antique subiciebat, ad quem Legatos suos cum  
 litteris et Judicii Actis mittebat. Hinc Protes-  
 tantes æque ac Græci Primatum Romanæ Ec-  
 clesiæ non a Cathedra S. Petri, sed a Sede Ro-  
 manorum Imperatorum derivantes risu magis  
 quam seria refutatione digni sunt.*

misiffemus, laudibus super astra nos tolle-  
 bant, & Sacrae Sedis Auctoritatem de-  
 prædicabant; nunc vero, postquam eorum  
 errores damnauimus, mutato sermone con-  
 tumeliis nos laceffunt. Cumque, Deo Opti-  
 mo sint infinitæ Laudes! nihil, unde per-  
 sonam nostram carperent, inuenissent, ini-  
 qua ceperunt consilia reprehendendi Majo-  
 rum nostrorum Traditiones, quas vitupe-  
 rare aut vilipendere Patres ipsorum nun-  
 quam ausi sunt. Illud vero timendum, ne  
 suas calumnias in alias Mundi partes spar-  
 gant, cum jam glorientur, quod ad Patriar-  
 chas Alexandrinum & Ierosolymitanum  
 litteras miserint, quibus eos ad approban-  
 dam depositionem Ignatii & ordinatio-  
 nem Photii permoueant. Nec quidem eo-  
 rum concordiam expavescimur, sed ruinam  
 animarum dolemus; nam quia sub Ara-  
 bum iugo gemunt, spe aduenturi sibi a  
 Græcis auxilii decipi forte & seduci  
 possent.

In fine Summus Pontifex verbis ad  
 Hincmarum solum directis ait: Perlecta  
 hac epistola, eam ad alios Episcopos in re-  
 gno Caroli celeriter fac deferri, quilibet  
 has quæstiones in sua Provincia cum suis  
 Suffraganeis mature examinet, suam sen-  
 tentiam scribat, quam tu ad nos trans-  
 mitti cures. Data est hæc epistola deci-  
 mo Cal. Nov. Indictione prima, id est,  
 vigesima tertia Octobr. anno octingen-

Hist. Eccles. Tom. XII.

R

tesis

Seculum IX.  
 A. G. 867.



Sæculum IX. tesimo sexagesimo septimo. Ex his de  
 A.C. 867. spicimus, ad Pontificis notitiam necdum  
 pervenisse, rerum faciem ab uno mense  
*Ann. Fuld.* Constantinopoli fuisse mutatam. Data  
 868. etiam ad Regem Carolum epistola roga-  
 vit, ut Episcopis Regni sui potestatem  
 faceret, hac de causa conventum agen-  
 di. Episcopis Germaniæ quoque, quid  
*ep. 57.* Græci molirentur, perscripsit.

## §. VII.

*Epistolæ in Causa Lotharii.*

*Ann. Fuld.* Nicolaus eodem tempore complures  
 868. epistolas de causa Regis Lotharii in  
*Nic. ep. 56.* Franciam dedit. Et primo ad Regem  
 Germaniæ Ludovicum, vehementer sibi  
 instantem, ut Theutgaudum & Guntha-  
 rium anno octingentesimo sexagesimo  
*Sup. l. 50.* quarto depositos restitueret. Id Papa  
 §. 32. fieri posse rotunde negat, & Regem ob-  
 jurgat, quod mala Ecclesiæ eum non  
 tangant. Edicit, etiamsi illi duo Episco-  
 pi pœnitentiam agerent, & mala a se fa-  
 cta tollerent, nunquam tamen iis spera-  
 re licere, pristinæ Dignitati restituendos  
 fore. Elapsis paucis diebus Pontifex ei-  
 dem Regi scripsit in hæc verba: *Signifi-*  
*casti nobis, fuisse tibi cum Rege Carolo*  
*fratre tuo colloquium (nempe Metis men-*  
*se Julio eodem anno 867.) cui quia de-*  
*fuit Lotharius Rex Nepos tuus, perbibes*  
*te ad eum Regem Carolum adjuncto quo-*  
*dam*

dam Episcopo regni tui misisse, qui eum Sæculum IX.  
A.C. 867.  
moneret, ut jussioni nostræ obedientiam præstaret. Laudamus tuam charitatem & erga nos obedientiam; sed dolemus, quod nullum, quidquid tibi promiserit, videamus effectum. Waldradam ad nos non solum non misit, verum etiam Ticinum, cum ad nos tendere crederetur, profectam, in Gallias revocavit. Theutbergam item Reginam non solum, quibus modis tenetur, & juramento se adstrinxit, non habet, sed opprobriis vexari & paupertate premi dissimulat. Ecclesiis Trevirensi & Coloniensi vacantibus a tanto tempore, spretis nostris mandatis, alios Episcopos eligi non curat. Sic Rex Lotharius nobis obedit.

Nilominus dicit, Romam se venturum, quamvis sæpe prohibuerimus, ne sine nostra licentia veniat. Cura, ut eum ab hoc proposito dimoveas, si enim modo veniret, eo, quo desiderat, cultu non exciperetur. Impleat prius promissa, non ore, sed factis. Quid enim profit Regina Theutbergæ, quod eam longius non repellat, si tamen alieno ab ipsa est animo? Quid profit inanis Regina Titulus sine auctoritate? dum Waldrada ejus æmula, quantumvis excommunicata, re ipsa cum Lothario regnat, & de omnibus decernit. Quamvis enim, in speciem divisionis, ab

Sæculum IX. *ipſius alloquio abſtinere videatur, ipſa to-*  
A. C. 867. *men per ſubſtitutos homines plura quam*  
*uxor legitima poteſt. Non niſi ipſa Du-*  
*ce aditus ad Regem patet, ipſa patroci-*  
*nante beneficia diſtribuuntur, ipſa obſtan-*  
*te nihil a Rege impetratur. Tandem ro-*  
*gat Papa Germaniæ Regem, ut redditus*  
*S. Petri Patrimoniorum in regno ſuo po-*  
*ſitorum tuto transmittat, & conquiritur,*  
*quod per annos duos nihil accepisset.*

*ep. 58.*  
*Ann. Fuld.*  
 868.

Cum Episcopi Germaniæ cum Rege suo ad Papam literas dedissent, rogantes, ut Collegis suis Theutgaudo & Gunthario parceret, respondit ille data amplissima Epistola, in qua ab origine tractat, quidquid hi duo Episcopi deliquissent; ipsos nempe Ingeltrudi & postea Waldradæ præsidium præstitisse. Tum totam causam ad septem accusationis articulos, propter quos Romæ depositi fuissent, reducit. Ergo hortatur Episcopos, ne amplius pro ipsis aut pro Rege Lothario, nisi is ad frugem redeat, precibus sibi molesti fierent, sed potius ad Regem convertendum secum operam jungerent. Hæc Epistola ultima die Octobris anno octingentesimo sexagesimo septimo data. Ceterum Lothario Papa non amplius scribebat, quia ipsum excommunicaverat; quippe id claris verbis dicit in Epistola ad Regem Carolum ipsius

*to. 8. Conc.*  
*p. 502.*

ipſius patrum data, ut patrocigaretur **Sæculum IX.**  
 Heltrudi Berengarii Comitis viduæ, & **A. C. 867.**  
 Lotharii Sorori, cui ipſe ademerat præ-  
 dia, ab Imperatore Lothario eorum pa-  
 rente filiæ relicta, eaque in prædam Nor-  
 mannis ceſſerat.

## §. VIII.

*Nicolai Papæ obitus.*

**N**icolaus Papa, poſt ſcriptas has Epiſto-  
 las haud diu ſuperſtes, decima ter-  
 tia Nov. eodem anno octingenteſimo ſe-  
 xageſimo ſeptimo fatiſ functus eſt, poſt-  
 quam Beati Petri Sedem annis novem,  
 menſibus ſeptem & diebus viginti tenuiſ-  
 ſet. Eum Eccleſia Romana noviffimis *Mart. Rom.*  
 temporibus Sanctorum numero adſcri- *13. Nov.*  
 pſit, laudans ipſius vigorem apoſtolicum,  
 cujus ſpecimina vidimus. A charitate  
 quoque commendatur; namque apud ſe *Anaſt.*  
 habuiſſe perhibetur Syllabum omnium *p. 271.*  
 claudorum, cœcorum, & pauperum om-  
 nino infirmorum, Romæ commoran-  
 tium, quibus alimenta in ſingulos dies  
 diſtribui jubebat. Illis vero, qui ingre-  
 di valebant, teſſeras dari juſſit, quibus  
 exhibitis, accipiebant annonam, quidam  
 die Dominica, alii die Lunæ, alii aliis  
 hebdomadis diebus. Canalem, aquam  
 ad S. Petri Baſilicam deferentem, in com-  
 modum pauperum in aditu Eccleſiæ e-  
 leemoſynam petentium, & peregrinorum

Sæculum IX. ex omnibus nationibus ad limina Apostolorum pro impetranda peccatorum suorum venia adventantium reparavit

*p. 262.*

Multi ex omnibus provinciis ad consulendum de diversis quæstionibus Nicolaum Papam, plus quam de quoquam alio Antecessorum suorum memoria præditum sit, adveniebant, cunctique accepta ejus Benedictione & Doctrina recedebant profitentes, sibi satisfactum fuisse. Unde ob multitudinem se consulentium non tam mature, ac ipse voluisset, respondere poterat, quod ipse in compluribus Epistolis, præsertim ad Rolandum Archiepiscopum Arelatensem & Adonem Viennensem datis, fatetur.

*to. 8. Conc.  
p. 493.*

*p. 504. n. 1.*

Præter Epistolas a me memoratas, complures aliæ ipsum consulentibus scriptæ supersunt. In aliqua Epistola ad Rudolphum Episcopum Bituricensem data, inter alios casus, definit, Chorepiscopos habere ministerium Episcopale; unde sequeretur, ab eis Presbyteros & Episcopos valide ordinari. (\*) Archiepiscopo Bituricensi ex Dignitate sua Patriarchali nullum jus competere in Ecclesiam Narbonensem, nisi in casu appellationis; Sede vero vacante, ipsius esse

*n. 2.*

(\*) Inde confirmatur opinio, Chorepiscopos in quibusdam locis fuisse, in aliis non fuisse ordine Episcopos.

esse illam Ecclesiam regere. Non me-  
 mini, prius unquam hujus Patriarchatus  
 mentionem occurrisse. Creditur autem  
 in eo fuisse fundatum, quod Civitas Bi-  
 turicensis Aquitaniæ Regni, a Carolo  
 Magno, quo filio suo Ludovico pio fa-  
 veret, erecti, Caput esset. Præterea di-  
 cit Papa: *In Ecclesia Romana nec Dia-*  
*conis, nec Presbyteris manus unguuntur.*  
 Nihilominus Presbyteros ungere jam  
 tunc in Galliis receptum erat; quod A-  
 malarius & Theodulfus Aurelianensis  
 testatum faciunt. Rursus: *Pœnitentes,*  
*qui ad militiam redeunt, contra Cano-*  
*nes peccant. Quia vero dicis, aliquos*  
*hoc rigore ad desperandum impelli, & a-*  
*lios ad paganos deficere, hanc rem pro di-*  
*versitate adjunctorum tuo iudicio relin-*  
*quimus.*

In quibusdam etiam Epistolis suis Ni-  
 colaus Papa modum pœnitentiæ præ-  
 scribit. Monacho, cui nomen Eriarthus,  
 cum Monachum ex Monasterio S. Ri-  
 charii Presbyterum interemisset, Romam  
 profecto, ut ab hoc peccato absolvere-  
 tur, Papa duodecim annorum pœniten-  
 tiam injunxit. Tribus primis annis in  
 ordine flentium ante Ecclesiæ januam  
 perseveret. Anno quarto & quinto Au-  
 ditorum numero adscriptus sit, & non  
 communicet. Septem annis posteriori-

R 4 bus

Sæculum IX.  
 A. C. 867.

Thomasi  
 discipl. part.  
 3. lib. 1. c. 4.  
 n. 6.

Sup. Lib.

XLIV.

§. 17.

Martene liv.

1. c. 8. art. 9.

Annal. l. II.

c. 13.

Theod. c. n. I.

n. 4.

p. 513. ep. 24.

Flod. III.

c. 23.

Pœnitentiæ

publica.

Sæculum IX. bus in Festis præcipuis communicet, *sed*  
 A. C. 867 non afferat oblationem. Toto pœnitenti-  
 tiæ tempore jejuset usque ad vesperam  
 sicut in Quadragesima, exceptis Festis  
 & Dominicis. Iter facere non nisi pe-  
 dibus ei liceat. *Debuisset quidem, sub-*  
*jungit Papa, toto vitæ suæ tempore pœ-*  
*nitentiam agere; sed ob fidem ejus, &*  
*intercessionem SS. Apostolorum, quorum*  
*opem imploravit, aliquid detrabendum*  
*esse existimavimus. Monet Hincmarum*  
 ipsius Metropolitanum, ut pœnitentiam  
 rite ab eo impleri curet, qui hac de cau-  
 sa ad Hilmeradum Episcopum Ambia-  
 nensem litteras dedit.

p. 515. 560.  
503. ep. 17.

Nicolai Papæ  
Epistolæ.

ep. 66.

In Epistolis Nicolai Papæ tria alia præ-  
 terea pœnitentiæ Canonice exempla le-  
 gimus, a pœnitentia primorum Sæculo-  
 rum haud abhorrentia. Illud vero a  
 vulgari disciplina alienum, quod pœni-  
 tentiam comminando injunxerit pecca-  
 toribus eam non petentibus. Cum e-  
 nim Stephanus Arvernix Comes, Sigone  
 Episcopo Claromontano e Sede sua ex-  
 pulso, adulterum in ejus locum subro-  
 gasset, præcipit Nicolaus spoliatum ab-  
 jectâ omni mora restitui, Comitem co-  
 ram Legatis a se missis, & Concilio præ-  
 futuris, comparere, atque tum ob istud  
 crimen, tum ob alia eidem objecta cau-  
 sam dicere. *Secus, interdiciamus tibi, in-*  
*quit Papa, usum vini & carnis, usque*  
*dum*

*dum Romam veneris & conspectum nostrum subieris.* Legati, quorum hic mentio fit, Rodoaldus & Joannes, in Concilio Metensi anno octingentesimo sexagesimo tertio Præsides, haud dubie fuerint.

Universim Epistolas ferme centum a Nicolao Papa scriptas habemus, quas in Indice accurato, ut refert Anastasius, invenire erat. Toto autem Pontificatus sui tempore unica Ordinatione, scilicet Mense Martio, Presbyteros septem & Diaconos quatuor ordinavit. At Episcopos per diversa loca sexaginta quinque consecravit. Sepultus est ad portam Basilicæ S. Petri. (\*)

## §. IX.

*Hadrianus II. Papa.*

Nicolai in Sacra Sede Successor fuit Hadrianus II. Talari, postea Episcopi, filius, ex genere Stephani, & Sergii junioris Pontificum descendens, a Gregorio IV. Subdiaconus creatus, deinde in familiam Palatii Patriarchalis Lateranensis admittus, & Presbyter Tituli S.

R 5 Marci

(\*) Quis æquo animo ferat Caveum dicentem, in Artic. Nicol. I. *Anno 861. Nicolaus Photium, Conciliumque Constantinopolitanum ab eo habitum sugillare, & Ignatio palam patrocinari coepit. Et infra: A Photio (Nicolaus Papa) anathemate percussus est.*

Cæcus



Sæculum IX. Marci Papæ ordinatus est. Largissimus  
 A. C. 867. in dandis eleemosynis fuit; imo quadam  
 die, cum quadraginta denarios cum ce-  
 teris Presbyteris a Sergio Papa accepis-  
 set, pecunia in manibus ipsius eam pau-  
 peribus distribuentis multiplicata dici-  
 tur, ita ut postquam in singulos paupe-  
 res, quorum magna fuit multitudo, tres  
 denarios, totidemque in singulos familia-  
 res suos sparsisset, nihilominus sex super-  
 essent. Hospites quoque advenientes li-  
 beralissime habebat. Jam pridem post  
 obitum Leonis IV. iterumque Benedi-  
 cti III. omnium votis Papa electus tan-  
 ta solertia summam Dignitatem a se a-  
 molitus fuerat, ut eam etiam effugerit;  
 sed defuncto Nicolao, totius populi con-  
 cursus, omnium Clericorum consensus,  
 clamores precesque reluctanter coege-  
 runt, ut Pontificatum susciperet septua-  
 ginta sex annos natus. Uxorem habe-  
 bat, (\*) cui nomen Stephania, adhuc lu-  
 ce

Cæcus sit, oportet, qui pensatis omnibus  
 Historiæ Ecclesiasticæ adjunctis, Photium nullo  
 jure & pessima fide egisse; econtra Nicolaum  
 Pontificem omnes partes viri pii, sinceri, & con-  
 stantis implevisse, non videat.

(\*) Tantum ne quis Protestans dicat, quem  
 admodum Interpres Fleurii, si opus suum pro-  
 sequeretur, haud dubie dicturus esset, Hadria-  
 num

ce fruentem, & etiam filiam. Multi viri pietate conspicui, Monachi, Presbyteri, Laici, jam diu ante sibi per ostentum manifestatum fuisse ajebant, Hadrianum supremam Dignitatem consecuturum. Quibusdam visus fuerat in Sede Pontificali Pallio ornatus sedere, aliis Casula indutus Missam celebrans, aliis in Basilica nummos aureos dispendans, aliis denique equo insidens, quo Nicolaus Papa vehi solebat, magna pompa ad S. Ecclesiam procedere.

Ergo Hadrianus ex Ecclesia S. Mariæ Majoris, ubi frequentissime orationi vacabat, producitur, & festinanter in Palatium Patriarchale Lateranense devehitur. Qua re comperta, Legatis Ludovici Imperatoris non probabatur, quod, Romæ præsentem, a Romanis ad electionem non fuissent invitati, quamvis & ipsi hunc virum ad Dignitatem Papalem fuisse promovendum censerent. Responderunt Romani, id neutiquam ideo a se omissum, quod Imperatoris auctoritatem parvi penderent, sed

ut

---

num Pontificem vel alios Episcopos ab uxoribus non abstinuisse.

Quippe viros uxorem habentes, deinde ad Sacerdotium admissos, divortium quoad torum & mensam fecisse, ex Historia Ecclesiastica exploratissimum est.

Sæculum IX. ut posteris consulerent, & vim consue-  
 tudinis non obtineret, Papam nisi expe-  
 ctato Legatorum Cæsareorum adventu  
 A. C. 867. rite eligi non posse. Cum hoc respon-  
 sato Legatis fuisset satisfactum, & ipsi ad  
 salutandum Hadrianum venerunt. Ma-  
 gno clamore petebat populus, ut statim  
 consecraretur; obstitit vero Senatus.  
 Ergo dilata est Ordinatio, dum afferre-  
 tur responsum Imperatoris, qui inspecto  
 Electionis Decreto & subscriptionibus,  
 data Epistola Romanos laudavit, quod op-  
 timum virum elegissent, declarans, nol-  
 le se, ut quodcumque pretium pro con-  
 secratione Hadriani daretur, ne quid-  
 quam juris se Ecclesiæ Romanæ erepta-  
 rum, quin magis effecturum, ut ablata  
 restituerentur.

Postquam igitur de more preces, vi-  
 giliæ, & eleemosynæ in Sabbato decima  
 tertia Decembris anno octingentesimo  
 sexagesimo septimo præcessissent, sequen-  
 te die Dominica Hadrianus ad S. Petri  
 Basilicam deducitur, & solemnî ritu a  
 Petro Episcopo Gabiorum, quæ civitas  
 prope Præneste hodie suis ruinis sepulta  
 jacet, a Leone Silvæ candidæ, & Dona-  
 to Ostiensi consecratur. Hi tres Epis-  
 copi ad hoc Ministerium delecti, quia  
 Albanensem mors rapuerat, & Portuen-  
 sis absens erat, videlicet Formosus a Ni-  
 colao Papa ad prædicandum Bulgaris E-  
 vange-

vangelium missus. Cum deinde Papa Sæculum IX.  
 Neo - electus Missam celebraret, cuncti A. C. 867.  
 de manu ejus accipere Communionem Hadriani  
 gestiebant, quam etiam aliquibus, ab Consecratio.  
 Antecessore suo exclusis, dedit, videli-  
 cet Theutgaudo Archiepiscopo Trevi-  
 rensi & Zachariæ Episcopo Anagninensi  
 a Nicolao Papa excommunicatis. Item  
 Anastasio Presbytero, quem Leo IV. &  
 Benedictus Communionem Laicam conten-  
 tum esse jusserant. Eos tamen non prius,  
 quam modo competente satisfecissent,  
 recepit. Ex Ecclesia in Palatium Late-  
 ranense reversus, donis, quæ Pontifices  
 accipere solebant, rejectis, ea solum,  
 quæ comedi possent, admisit, dicens:  
*Fugiamus pudendum pecuniarum commer-* Matth. 10. 1  
*cium. Gratis demus, quod gratis acce-*  
*vimus secundum præceptum Domini, &*  
*Oblationes Fidelium cum pauperibus, pro*  
*quibus nobis dantur, partiamur.*

At, dum Pontifex consecratur, Lam-  
 bertus Dux Spoletanus Urbem armatus  
 intrat, eamque a suis diripi sustinet.  
 Primores dato pretio ædes suas a rapina  
 redemerunt. Non Ecclesiis, non Mona-  
 steriis parcebatur, multæque Virgines  
 nobiles abstractæ. Re ad Imperatorem  
 delata, Ducatu exiit Lambertus, quem  
 omnes Franci, Sacræ Sedis inimicum, a-  
 bominati sunt. Papa quoque suis parti-  
 bus non defuit, sed omnes hujus latro-  
 cinii

p. 887.

Sæculum IX. cini participes, & nominatim eorum  
A. C. 867. quinque, qui ceteris tanti facinoris Du-  
 ces extiterant, excommunicavit, donec  
 restituerent & satisfacerent. Reperi-  
 unt duo, qui Pontificis monitis parue-  
 runt.

to. 8. Conc.  
 p. 568.

Hadriano ordinato, Anastasius Bi-  
 bliothecarius statim Adonem Archiepis-  
 copum Viennensem hujus rei certiore  
 fecit, data Epistola in hunc modum:  
*Tristis fati tibi index sum. Heu! Pa-  
 ter noster Nicolaus decima tertia Novem-  
 bris ad meliorem vitam abiens reliquit  
 nos, omni solatio destitutos. Nunc vero  
 omnes illi, quos ob adulteria aliave cri-  
 mina castigavit, omnibus viribus ejus-  
 dem facta & Scripta abolere conantur,  
 quibus etiam Imperator favere dicitur.  
 Igitur hanc rem cunctis Fratribus per-  
 scribite, & pro Ecclesiæ bono, quæ visa  
 fuerint, facite. Si enim tanti Pontifi-  
 cis Acta rescinduntur, de vestris quid  
 fiet? Quamvis vero apud nos pauci sint,  
 qui genua coram BAAL non curvaverint,  
 scio tamen, apud vos permultos existe-  
 re. Habemus Papam, cui nomen Ha-  
 drianus, ad mores hominum emendan-  
 dos magno zelo instructum, sed necdum  
 scimus, an omnia Ecclesiæ negotia per-  
 tractanda, vel solummodo eorum partem  
 suscepturus sit. Ceterum plurimi faci-  
 amatque, propinquum meum Arsenium,*

amicum vestrum, cujus quidem fervor pro reformatione Ecclesie non nihil remisit, ex quo satis dure a defuncto Pontifice habitus fuit; unde etiam Imperatoris partibus adhæret. Rogo, ut eum ad meliorem mentem reducere satagatis, quippe hujus viri auctoritas, qua & apud Imperatorem & apud Papam valet, Ecclesie utilissima foret. His Anastasius adjecit Annotationem hujusmodi: Obtestor vos, ut omnes Galliarum Metropolitanos illud imprimis moneatis; ne sub prætextu propriam recuperandi auctoritatem ad memoriam defuncti Pontificis deprimendam operam jungant. Nemo enim unquam Nicolaum accusavit, & nemo jam est, qui mortui causam dicat. Nunquam cuicumque Hæresi consensit, sicut falso præsumitur; sed bono zelo ductus omnia egit. Itaque per Deum vos obsecro, generosum pectus talia contra Pontificem defunctum machinantibus vigore Sacerdotali objicite. Actum est de auctoritate hujus Ecclesie, si hæc locum habeant.

## §. X.

*Hadrianus Papa objecta sibi diluit.*

Causæ omnino non erant nullæ, cur Anastasius timeret, ne memoria Nicolai læderetur, & Acta abolerentur; nam

Sæculum IX.  
A. C. 867.

Sæculum IX. nam complures non sine scandalo cre-  
 didere, Hadrianum animo constituisse, A. C. 867.  
 illa rescindere. Aliis econtra minime  
 probabatur, quod Nicolai Antecessoris  
 sui vestigiis insisteret. Quippe in Pon-  
 tificem ordinatus nihil antiquius habuit,  
 quam in Bulgariam dimittere Domini-  
 cum & Grimoaldum Episcopos, quibus  
 hæc legatio a Nicolao, paulo ante quam  
 moreretur, destinata fuerat, jamque ul-  
 tima mandata acceperant. Tantum de-  
 leto Nicolai nomine suum Hadrianus po-  
 ni iussit. Iphis iter ingressis, Papa ab  
 Imperatore Ludovico obtinuit, ut Gau-  
 dericus Episcopus Velitrensis, Stephanus  
 Episcopus Epesinus, & Joannes Simon-  
 des, adversariorum suorum criminatio-  
 nibus delati, ab exilio revocarentur. Ip-  
 se Imperator, quoscunque in carceri-  
 bus crimine læsæ Majestatis accusatos  
 detinebat, libertate donavit. Tum Ha-  
 drianus, quod Antecessor ipsius proposi-  
 tum sibi habebat, Ecclesiam a se fundi-  
 tus erectam, cum triplici æquæductu,  
 picturis decorari curavit. Hac Ecclesia  
 illarum, quæ in Laterano erant, nulla  
 ornatior.

Hæc omnia Nicolai Papæ adversariis  
 ansam præbuerunt, ut publice dicerent,  
 scriberentque, Hadrianum Papam esse  
 Nicolaitam. Rursusque, cum ex nu-  
 mero hominum sibi infensorum non nula

los apud se patienter toleraret, alii Sæculum IX.  
A. C. 868.  
suspiciabantur, Acta Antecessoris sui ab-  
rogaturum. Unde etiam omnes Episcopi Occidentis, datis ad eum solemnibus literis hortati sunt, ut memoriæ Nicolai Papæ honorem haberet. Quod forte Anastasii Bibliothecarii & Adonis Viennensis conatibus adscribendum.

Interim Romæ quidam Monachi tam ex Græca, quam ex aliis nationibus ab ejus Communionem per aliquot dierum spatium secreto abstinerunt; quare Papa, cum Feria sexta Septuagesimæ vigesima prima Februarii (si id anno 868. factum) iis prandium de more parasset, solito plures invitavit, aquam lavandis manibus ipse præbuit, cibum & potum ministravit, quin etiam, quod nullum Antecessorum suorum fecisse meminerat, ipse manducantibus assedit. Ceterum toto prandii tempore Hymni spirituales decantabantur.

Mensa remota, Pontifex in pavimento coram omnibus procumbens dixit: *Rogo demississime, Fratres mei, orate pro Ecclesia Catholica, pro Filio nostro Christianissimo Ludovico Imperatore, ut ei Deus Saracenos, ad pacem & quietem nostram, subjiciat. Orate etiam pro me, ut mihi vires det, Ecclesiam suam amplissimam gubernandi.* Hic omnes exclamare; multo magis oportere, ut ipse  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XII. S pro*



Sæculum IX. pro ovibus suis oraret, & ipse obortus  
 A. C. 868. lacrymis addidit: *Quandoquidem oratio*  
 Pontifex Ha- *facta pro illis, qui sanctissime vixerunt,*  
 drianus lau- *est potius gratiarum actio, rogo vos, ut*  
 dat Nico- *Deo gratias agatis, quod Dominum meum*  
 laum. *& Patrem meum Sanctissimum & or-*

*Aug. Enchi. thodoxum Papam Nicolaum Ecclesie sue*  
 6. 110. *donaverit, quam velut alter Josue de-*  
*fenderet. Tunc vero omnes Monachi*

*Jerosolymitani, Antiocheni, Alexandri-*  
*ni, & Constantinopolitani, quorum ali-*  
*qui a Principibus missi fuerant, aliquan-*  
*diu vocem tenuerunt, inexpectato gau-*  
*dio attoniti. Deinde vero exclamare:*  
*Laudetur Deus! Laudetur Deus! quod*  
*Ecclesie sue Pastorem dederit, Antecesso-*  
*rum suum honorantem. Cedat invidi-*  
*maligni rumores dissipentur! Tum tertio*  
*repetere: Vivat Dominus noster Hadria-*  
*nus, a Deo Summus Pontifex & Papa*  
*universalis electus! Ipse manu silentium*  
*imperans dixit: Sanctissimi & Orbodo-*  
*xi Domini Nicolai, quem Deus Summus*  
*Pontificem, & Papam universalem consti-*  
*tuit, sit æterna memoria! alteri Elic-*  
*vita & gloria perpetua! alteri PHIL-*  
*NEES, æterno Sacerdotio digno, Salus*  
*perpetua! Pax & gratia Sectatoribus e-*  
*jus! Hæc ab omnibus tertio repetita.*

Hadriano Papæ non minus curæ fuit  
 hac super causa apud Episcopos Francie  
 se purgare, quod ex prima Epistola ad  
 eos

eos data dispicitur. Hæc die secunda Sæculum IX.  
 Februarii, Indictione prima, nempe anno A. C. 868.  
 octingentesimo sexagesimo octavo, scri-  
 pta, & responsum est ad Epistolam Sy-  
 nodicam Concilii Trecentis. Nam A-  
 ctardus, qui eam detulit, Romam perve-  
 nit Nicolao Papa jam mortuo, & Hadria-  
 no ordinato, atque Hadriani responsum  
 in Franciam pertulit Sulpitius Legatus  
 Wulfadi, Archiepiscopi Bituricensis, cui  
 etiam per omnia favet. In eo enim  
 Papa loquitur in hunc modum: *Inno-*  
*centia Fratris nostri Wulfadi Episcopi*  
*& sociorum ipsius, quæ ad breve tempus*  
*premebatur, vestro beneficio solis lumine*  
*clavio evasit. Idcirco confirmamus &*  
*approbamus iudicium vestrum, idque pre-*  
*cibus vestris damus, ut Wulfadus Epis-*  
*copus Bituricensis Pallio uti possit, quod*  
*Antecessor noster lubentissime concessisset,*  
*si quæ modo misistis accepisset. Facimus,*  
*quod ipse, si viveret, facere voluisset. I-*  
*taque cum vobis, quæ petitis, concedamus,*  
*rogamus, ut & vos Nicolai Papæ nomen*  
*libris & diptychis Ecclesiarum vestrarum*  
*inseriris, illud in Missa memorari jubea-*  
*tis, atque id ipsum Episcopis Confratri-*  
*bus vestris demandetis. Hortamur quo-*  
*que, ut tam verbis quam scriptis forti-*  
*ter resistatis Principibus Græcis, aliis-*  
*que, præsertim Clericis, qui vel contra*  
*defuncti Pontificis personam, vel ejus De-*  
cretis

Sæculum IX.  
A. C. 868.

ep. 35. to. 8.  
Conc. p. 939.

*creta quidquam moliri præsumunt. Scitote enim, si quid hic locorum contra ejus memoriam fuerit tentatum, nos nunquam consensuros. Nihilominus nolumus esse illis inexorabiles, qui postquam congrue satisfecerint, Misericordiam Sacræ Sedis implorabunt; si modo facta propria excusent, non vero accusent Magnum Pontificem, qui nunc coram Deo stat, & quem in vivis agentem nemo arguere ausus est. Estote hac super re vigilantes & constantes, & quid agatur omnes Episcopos transalpinos edocete. Quippe si hæc ea vel ejus Decreta damnentur, nemo vestrum speret, firma fore, quæcumque ipsæ statuerit.*

Haud multo post, nempe sexta Maii eodem anno 868. Hadrianus Papa data Epistola ad Adonem Archiepiscopum Viennensem, exhortantem se, ut Antecessoris sui Decreta tueretur, dicit: *Eodem vigore ea defendam, quo mea tueor; si vero Antecessorem meum illorum temporum adjuncta ad severitatem adhibendam compulerunt, nihil obsistit, quo minus nos clementia utamur, si id negotiorum ratio postulaverit.*

§. XI.

*Papa Lothario licentiam veniendi Romanam tribuit.*

to. 8. p. 909.

**U**bi Rex Lotharius mortem Nicolai Papæ

Papæ accepit, Adventium Episcopus Metensem & Grimlandum Cancellarium suum Romam misit cum Epistola, in qua dolere se amissum morte Nicolaum Pontificem significat; queritur tamen, quod animum suum contra se præjudicii occupari permisisset. *Submissimus nos, inquit, Pontifici, seu potius Principi Apostolorum, plus quam ullus Antecessorum nostrorum. Paterna monita, atque Legatorum ipsius hortatus, secuti sumus magis quam Regiam Dignitatem decuisset. Sæpissime rogavimus ut, quod Leges Divinæ humanæque concedunt, liceret nobis cum accusatoribus nostris ejus conspectum subire. Sed semper fuimus repulsi, nec concessum adire Sacram Sedem, cujus Patroni progenitores nostri extiterunt. Congratulamur quidem, quod Bulgari, alique Barbari ad limina SS. Apostolorum invitentur, sed non modice affligimur, nos excludi.*

Deinde gratulatur Hadriano Dignitatem Papalem, Patrocinium offert, promittit obedientiam, & magno desiderio Romam proficiscendi se teneri indicat. Rogat quoque Pontificem, ne sibi quemcunque alium Regia Dignitate æqualem præferat, & addit: *Cum nobis scribis, literas tuas nemini alteri deferendas trade, quam Legato nostro, tuo, aut Imperatoris Fratris nostri, nam ob cautionem*

Sæculum IX. *banc omiffam multa jurgia in nostris ve  
A. C. 868. gionibus orta.*

*Regin. an.  
868.*

Respondit Papa data Epistola, qua intercidit; sed ejus Summa hæc erat Sacræ Sedis Pontifices nunquam non dignam satisfactionem cujuscunque recipiendam esse pronissimos, & nunquam quod legibus Divinis humanisque justum declaratur, denegasse. Libere ergo veniret Lotharius, si criminum, quorum accusabatur, sibi conscius non esset; atque etiamsi esset, nihilominus veniret pœnitentiam congruam recepturus.

*Chr. Cass.  
c. 36.  
Ann. Met.  
867.*

Ludovicus Imperator, Lotharii Legatis haud dubie urgentibus, omnibus viribus nitebatur Hadriani Papæ animam in causa Lotharii mitigare. Nam a mensibus jam octodecim Ludovicus, Lotharii copiis adjutus, bellum prospero successu inferebat Saracenis ex Africa advectis, qui partes Italiae ad meridiem positas vastabant, & complures urbes tenebant. Imperator anno octingentesimo sexagesimo sexto Capuam trimestri obsidione ad deditiorem compulerat. Hostes deinde prope Luceriam in Apuliae profligatos castris exuerat. Tum vero capta Matera, incensaque Saracenos Barii inclusos obsidebat, quam civitatem illi annis quatuor propugnarunt.

Igitur Papa nolens quidquam rogati Principi & victori denegare, etiam jusdem

jusdem precibus dedit, ut Waldradam <sup>Sæculum IX.</sup>  
 absolveret; quod ex compluribus Epi- <sup>A. C. 868.</sup>  
 stolis, quas Adventius Episcopus &  
 Grimlandus Cancellarius detulerunt,  
 apparet.

Prima ad ipsam Waldradam data <sup>Hadr. ep. 14</sup>  
 est, in eaque Pontifex loquitur in hunc  
 modum: *Comperimus ex litteris complu-  
 rium virorum & præcipue Ludovici Im-  
 peratoris, te peccati tui & obstinationis  
 penitentiam subiisse. Quamobrem ab a- <sup>Epistolæ Pa-</sup>  
 natemate & excommunicatione te ab- <sup>pæ ad Wal-</sup>  
 solvimus, & societati Fidelium restitui- <sup>dradam.</sup>  
 mus. Liceat tibi Ecclesiam intrare, o-  
 rare, manducare, & colloqui aliis Chri-  
 stianis. Deinceps vero tam caute agas,  
 ut tibi Deus absolutionem concedat in  
 cælo, quam in terra accipis. Si enim si-  
 mulas, tantum abest, ut liberata sis, ut  
 multo magis rea coram illo cognoscaris,  
 qui corda inspicit. Noli adulantibus ti-  
 bi aures dare, & memento, veritatem  
 diu celari non posse. Huic Epistolæ Pon-  
 tifex addidit aliam, ad Episcopos Ger-  
 manix datam, in qua eos certiores facit,  
 quod Waldradæ absolutionem conces-  
 serit. Scripta est duodecima Febr. an-  
 no 868. sicut & altera ad Regem Ger-  
 manix Ludovicum data, quæ est hu-  
 jusmodi:*

*Dilectissimus filius noster Ludovicus* <sup>ep. 7.</sup>  
*Imperator non adversus Sanctæ Reli-*  
 S 4 *gio-*

Sæculum IX. A. C. 868. *gionis filios, quod quidam alii faciunt pugnat, sed adversus Christi nomine inimicos, pro Sanctæ Ecclesiæ, & præcipue nostræ, securitate, pro multorum Fidelium libertate, qui apud Samnium salute periclitabantur, namque jam fides nostros Saraceni infestabant. Ludovicus, inquam, descendens de solio suo, corpori suo non parcat, æstus, algorem, sexcentis incommoda & discrimina perfert pro Christi nomine. Ecclesiæ Sanctæ quietem per eum Divina jam pietas operata est, non modicæ paganorum vires præstratæ; non nullos armis devictos a superstioso ritu ad fidem convertit fortissimus perinde ac piissimus Imperator. Quare credidimus, monendum te esse, ne ejus Ditiones invadas, neque Lotharii sunt enim in bono opere conjunctissimi. Nam scias velim, Sacræ Sedis causam ab Imperatoris salute separari non posse, neque ad ejus defensionem armis illis potentissimis, quas nobis Deus per intercessionem S. Petri contulit, esse usus.*

*Ann. Bert.*  
868.

Similes Epistolæ ad Regem Carolum & Episcopos in regno ejus existentes datæ erant, quas Episcopus Metensis, & Lotharii Cancellarius die Martis Rogationum vigesima quarta Maji eodem anno 868. Regi reddiderunt.

*ibid.* 867.

Sub finem anni præcedentis Rex Lotharius Theutbergam conjugem suam

Romam miserat, ut ibi solutionem ma-  
 trimonii ipsa postularet. Verum Ha-  
 drianus Papa, Antecessoris sui exem-  
 plum secutus, hac fraude decipi non  
 potuit. Id dignoscitur ex Epistola Sa-  
 cerdotali vigore scripta & ad Lotharium  
 data, quam etiam, ut conjectura est, E-  
 piscopus & Cancellarius detulerunt. Sum-  
 ma ejusmodi est: *Theutberga illustris-  
 sima Regina conjux tua causam suæ ne-  
 cessitatis ore proprio nobis exponens di-  
 xit: Se quadam corporis sui infirmitate  
 pressam & jam antea conjugio non legiti-  
 mo tibi traditam, a tuo velle separari  
 consortio, mundi Dignitates abjicere,  
 & leni jugo Christi cervicem cordis sub-  
 mittere. Quibus auditis non modico fui-  
 mus turbati stupore, & quamvis te ha-  
 beret consentientem, nostrum tamen con-  
 sensum obtinere non potuit. Sed præce-  
 pimus, ut ad te rediret, & jura matri-  
 monii Regalis defenderet. Causarum  
 vero separationis concedendæ examen ad  
 Concilium cum Fratribus nostris cele-  
 brandum dimisimus. Unde etiam atque  
 etiam hortamur Excellentiam tuam, ne  
 malorum auscultes consiliis, sed magis  
 banc Reginam affectu maritali recipias  
 tanquam alteram tui ipsius partem. Si  
 vero itineris difficultas, aut ægrotudo  
 corporis eam in aliquo prædio, sibi con-  
 cesso, dum Concilium habetur, commora-*

Sæculum IX.  
 A.C. 868.

ep. 13.



Sæculum IX. *vi coegerit, ibi sub tuo Regali præfati-  
 A. C. 868. degat, & de redivibus Monasteriorum  
 quæ eidem tuis verbis promiffi, decer-  
 nere valeat, ut habeat, unde Regina  
 modo quo decet, fufientetur. Si qui  
 mandatis noftris obftiterit, anathemat-  
 ferietur, tu vero, fi confcius fueris, com-  
 munionem Fidelium privaberis.*

Hic Pontifex abufum Abbatias per-  
 fonis Sæcularibus conferendi tacite ap-  
 probat. (\*)

## §. XII.

*Litteræ Pontificis Actardo faventis.*

*Hadr. ep. 7.* Dimiffis Regis Lotharii Legatis, Actar-  
 dus quoque Epifcopus Nannetensis  
 Summo Pontifici valedixit, acceptis liti-  
 ris fibi faventibus. Prima Pontificis E-  
 piftola ad Epifcopos, qui Concilio Sues-  
 fionenfi & Trecenfi interfuerant, data eft,  
 atque in ea de Actardo hæc leguntur:  
*Quia vero, ut dicitis, Præful venerabi-  
 lis jam a multo tempore perfequentibus  
 paganus*

(\*) Cum fciret Summus Pontifex, fperari  
 vix poffe, ut Lotharius, poft conceptum exitium  
 in Theutbergam odium, eam ex ærario fuo tan-  
 quam Conjugem Regiam aleret, fatis cauſæ fuæ  
 ad difpensandum juftus merus, ne fæda per-  
 pertate Regina innocens premeretur, quin  
 deo Hadrianus abufum fimpliciter approbati-  
 dicatur.

paganis e sua Ecclesia pulsus, per diversa loca errare cogitur, quamquam scientia & virtute Ecclesie plurimum prodesse queat, precipimus, ut juxta regulas ab Antecessoribus nostris, præsertim a S. Gregorio Magno, traditas Ecclesie, quæ proxime vacaverit, & illa, quam rexit, minor non fuerit, præficiatur; si nempe ipsius Ecclesia ita pessumdata sit, ut nulla amplius restitutionis spes affulgeat. Imo etiam pallium ei concessimus in solatium viri, qui tot ærumnas pro Religionis causa tulit; ita tamen ut hæc prærogativa ipsius personæ, non autem Ecclesie, cujus regimen adeptus fuerit, adhæreat.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

ep. 8.

Sup. n. 4.

ep. 10.

Secunda Epistola data est ad Regem Carolum, estque responsoria ad illas literas, quas soluto Concilio Trecensi ad Nicolaum Papam in causa Ebbonis scripserat. Hadrianus Papa declarat, hanc rem jam silentio involvi oportere, cum Ebbo nunquam Hæresis fuerit accusatus, jamque & ipso & Episcopis, quibus cognita erat hæc causa, vita functis, impossibile esse ad veritatem pervenire. Tum Actardum Regis benevolentie, quemadmodum superius Episcopis, commendat. Hæc Epistola 23. Febr. anno 868. data. Alia data est ad Herardum Archiepiscopum Turonensem, quem rogat, ut Actardo Monasterium, olim ab eodem

Sæculum IX. eodem in Diœcesi Turonensi possessum  
 A. C. 868. restituat, unde vitam sustentet. Dic  
 etiam, se Salomoni & Britonibus epi  
 Subditis ad conservanda Ecclesiæ Turon  
 nensis jura literas dedisse.

ep. 9.

Scriptit quoque Pontifex Hincmar  
 Archiepiscopo in hunc modum: *Lice*  
*frequens Sanctitatis tuæ fama dudum te*  
*nobis fecerit manifestum, nunc tamen præ*  
*clara merita tua, referentibus venera-*  
*bilibus fratribus nostris Arsenio Sacra*  
*dis Apocrisario, Actardo Episcopo, &*  
*filio meo charissimo Anastasio Bibliothe-*  
*cario, liquidius cognosco. Unde tam ar-*  
*denter te diligo, tanquam si millies mu-*  
*tuis fruereur alloquiis. Præterea bene*  
*novit Sanctitas tua, quantum Ecclesia*  
*hujus Præsules Benedictus & Nicolaus in*  
*causa Regis Lotharii laboraverint. Eo-*  
*dem nobis hac de re stat sententia, & eo-*  
*rum vestigia sequimur. Quamobrem*  
*Fraternitatis tuæ industriam admonemus,*  
*ut studium hoc tuum non abicias, sed*  
*nomine nostro Regibus & Optimatibus*  
*constanter ingeras, dolose machinantium*  
*argumentis non esse iterum ædificandum,*  
*quod Auctore Deo destructum fuit. In*  
*quo videlicet pietatis opere quia ex Re-*  
*gibus nemo magis quam dilectus filius*  
*noster Carolus, & ex Episcopis tu po-*  
*tissimum Sacram Sedem adjuvistis, hor-*  
*tamur, ut piissimum Regem ad Bonum*  
 quod

quod inchoavit, consummandum commo- Sæculum IX.  
neas. A. C. 868.

Deinde eidem Actardi causam com-  
mendat, & cupit, ut ei Ecclesia, si fieri  
possit, etiam Metropolitana conferretur.  
Cum hac Epistola Actardus aliam quo- *Flod. III:*  
que Hincmaro reddidit, ab Anastasio Bi-  
bliothecario ad eum scriptam cum mu-  
nusculis, cui Hincmarus dona alia & Scri-  
ptorum suorum aliqua transmisit. Un-  
de arctam ipsis amicitiam intercessisse  
dispicimus.

## §. XIII.

*Translatio S. Mauri.*

Rex Carolus hujus anni octingentesimi  
sexagesimi octavi initio Antiffiodori  
fuerat, quo, collatis prius cum Rege Lu-  
dovico fratre suo consiliis, Episcopos ad  
quasdam quæstiones de Regis Lotharii *Ann. Bert.*  
causa examinandas mense Februario con- *ann. 867. &*  
vocaverat. Die cinerum vero tertia *868.*  
Martii in Monasterio S. Dionysii in Fran-  
cia versabatur, ubi sæpe commorabatur,  
ex quo hanc Abbatiam sibi retinuerat. *Id. an. 867.*  
Quippe Ludovico Abbate, ex Rotrude  
Caroli Magni filia genito, mense Janua-  
rio anno octingentesimo sexagesimo se-  
ptimo fatis functo, Rex Carolus ejus co-  
gnatus, reservata sibi Abbatia, regimen  
intra domesticos parietes Præposito, De-  
cano, & Ærarii Custodi commisit, obse-  
quia

Sæculum IX. quia vero militaria a Majore domus præ-  
A. C. 868. stari præcepit. In Quadragesima ejus-  
 dem anni 868. ad Monasterium Fossa-  
 tense S. Mauri Reliquias ex Monasterio  
 Glandifoliensi ob metum Normannorum  
 ablatas transferri jussit.

*Sup. Lib.*  
*XXXIII.*

*S. 13.*  
*Act. SS. Be.*  
*to. 6. p. 168.*  
*Boll. 5. Jan.*

Monasterium Glandifoliense, a San-  
 cto Mauro in medio ferme Sæculi sexti  
 fundatum, per annos circiter ducentos  
 claruerat, cum quidam nomine Gaidul-  
 fus Ravennas, collato sibi a Rege Pipino  
 hoc Monasterio, Monachos tam male ha-  
 buit, ut numerum eorum (erant vero  
 ultra centum) ad fratres quatuordecim  
 redederit. Deinde his quoque pulsus, in  
 eorum locum pauperes Clericos quin-  
 que, ad Divinum Officium peragendum,  
 suffecit. Cellas, atque ipsas Ecclesias  
 destruxit, Tabulas combussit & dissip-  
 vit. Quo defuncto Comes Andegaven-  
 sis aliique Monasterii hujus prædia in-  
 vaserunt. Ludovico pio autem impe-  
 rante quidam Comes, cui nomen Rori-  
 co, & conjux ipsius Bilechildis idem Mo-  
 nasterium, Lamberto Monacho Monaste-  
 rii Martyrum, Jacobo Abbate Corme-  
 riensi, & Ingelberto Abbate Fossatensi ad  
 S. Petrum prope Parisios opem confe-  
 rentibus, restaurare aggressi sunt.

*Act. SS. Be.*

*to. 2. p. 591.*

*Sup. Lib.*

*VIII. §. 18.*

Monasterium Fossatense anno sexcen-  
 tesimo trigesimo octavo Blidegisilus Ar-  
 chidiaconus Parisiensis fundavit in loco  
 dicto

dicto *campus Bagadum*, a quadam mili-  
tum factione, quæ in Gallis sub Maxi-  
miano & Diocletiano seditionem move-  
rat. Quia autem latino barbaro castra  
appellabantur *Fossatum*, hic locus fossa  
seu fossæ dictus. Parisiis distat duabus  
leucis in quadam Peninsula situ jucun-  
dissima, quam Matrona amnis circum-  
fluit.

Cum igitur illum campum Archidia-  
conus a Rege Clodoveo II. obtinisset,  
condidit Monasterium S. Virgini & S.  
Petro dicatum, cujus primus Abbas fuit  
S. Babolenus, in Ecclesia Parisiensi vige-  
sima sexta Junii hodieque cultus. Por-  
ro anno octingentesimo quadragesimo  
quinto Gauselinus Roriconis vel filius  
vel nepos primus (post restauratum Mo-  
nasterium) Abbas Glandifoliensis Reli-  
quias S. Mauri ex uno Ecclesiæ loco in  
alium transferens, invenit pervetustam  
Inscriptionem in pergameno, cujus ver-  
ba erant: *Hic quiescit Corpus Beati Mau-  
ri Monachi & Diaconi, qui temporibus  
Regis Theodeberti in Galliam ve-  
nit, & decimo octavo Calendas Februa-  
rii decessit.*

Normannorum incuribus vexati Mo-  
nachi Glandifolienses, illas Reliquias in  
diversa loca transferre compulsi, tandem  
usque ad Ararim migrarunt, ubi quidam  
Comes nomine Audo iisdem in prædio  
suo

Sæculum IX.  
A. C. 868.

*Præf. vit S.  
Mauri. Act.  
SS. Ben. to.  
I. p. 275.  
Boll. to. I.  
p. 1052.*

Sæculum IX. suo receptaculum dedit anno 863. Mo-  
A. C. 863. nachorum parte ibi ad custodiendum  
 corpus & divina solemnia peragenda re-  
 manente, ceteri Andegavum redituri,  
 obvium in itinere habuerunt peregrino-  
 rum agmen Roma ad sua redeuntium,  
 ex quibus aliquis Clericus de Monte  
 S. Michaelis prope Abrincas habebat ve-  
 tustos codices, vitam S. Benedicti & quin-  
 que Discipulorum ejus, quos inter S. Mau-  
 rus erat, continentes. Igitur aliquis ex  
 Monachis Glandifoliensibus, nomine O-  
 do, coemptis codicibus, S. Mauri vitam,  
 quæ ipsi dictione admodum rudi conscri-  
 pta, præter alios describentium errores,  
 videbatur, ut potuit emendavit, atque  
 huic scriptioni trium circiter hebdoma-  
 darum spatium impendit. Hujus vitæ  
 Liber in fronte exhibet nomen Faustii,  
 qui Sancti Benedicti Discipulus, & S. Mau-  
 ri socius fuit. Attamen Odo permul-  
 ta errata oscitando vel non vidit, vel  
 adjecit.

Postquam S. Mauri Reliquiæ per an-  
 nos tres & sex menses in fundo Comi-  
 tis Audonis fuissent costoditæ, eas Rex  
 Carolus ad Monasterium Fossatense  
 S. Petri anno octingentesimo sexagesimo  
 octavo deferri jussit, quæ Translatio ri-  
 tu admodum solemniter peracta. Innume-  
 ra populi multitudine conflente, Æneas  
 Episcopus Parisiensis S. Confessoris Cor-  
 pus

pus in atrio Monasterii exceptum, & suis Sæculum IX.  
 humeris usque ad Ecclesiam S. Petri de- A. C. 868.  
 latum, in arca ferrea, ad recipiendas Sa-  
 cras Exuvias præparata, deposuit. Age-  
 batur tunc Feria IV. post Dominicam  
 Passionis, septima Aprilis. Præterea de-  
 crevit Æneas, ut singulis annis in Qua-  
 dragesima, eadem die recurrente, Suc-  
 cessores sui ad illud Monasterium in me-  
 moriam hujus Translationis procede-  
 rent, quod per plura Sæcula sequentia  
 observatum. Contulit etiam huic Mona-  
 sterio integram Præbendam ab Ecclesia  
 S. Virginis Parisiis accipiendam; quod  
 ex ipsius Epistolis cognoscimus. No-  
 mine Præbendæ illa ætate veniebat por-  
 tio alimentorum quotidiana, quæ singu-  
 lis Canonicis præbebatur. Hanc Histo-  
 riam posterorum memoriæ mandavit O-  
 do, postea Monasterio Fossatensi Abbas  
 præpositus, qui miracula non pauca in  
 illis S. Mauri Translationibus edita re-  
 censet.

## §. XIV.

*Tractatus Æneæ Parisiensis contra  
Græcos.*

Sub idem ferme tempus Æneas Episco-  
 pus Parisiensis Tractatum suum con-  
 tra errores Græcorum scripsit. Cum e-  
 nim Nicolai Papæ de illis quæstionibus  
 Epistolam, jam sub finem anni 867. in  
*Hist. Eccles. Tom. XII.* T Fran-

*Sup. n. 5.  
Flod. III.  
hist. c. 17.*

*Cang. Gloss.*



Sæculum IX. Franciam allatam Hincmarus coram Rege Carolo, præsentibus Episcopis, Corbeniaci, Arce Regia Diœcesis Laudunensis, prælegisset, omnibus visum, præcipiendum esse Episcopis & Doctoribus ut adversus Græcos calamum stringerent. Hincmarus hac Epistola ad ceteros etiam, ut Papa jusserat, Archiepiscopos missa, vigesima nona Decembris anno octingentesimo sexagesimo septimo ad Odonem Episcopum Bellovacensem Suffraganeum suum literas dedit, excitans ad calamum corripendum. Scripsit ille, opusque suum misit Hincmaro, qui aliqua in eo invenit necessario emendanda. Ratramus Monachus Corbejensis, in eadem Diœcesi Remensis jubentibus Episcopis scripsit. In Provincia vero Senonensi hanc spartam Episcopus Parisiensis nactus est.

*Hincm.*  
*Opusc. 51.*  
*Flod. III.*  
*c. 13. p. 479.*  
*Et 483.*

*v. Mabill.*  
*præf. to. 6.*  
*Act. c. 4.*  
*n. 160.*

*to. 7. Spicil.*  
*init.*

De omnibus Scriptis hac super literis editis non alia ætatem tulerunt, quam Tractatus Æneæ & Ratrami, ut conjicere licet, anno octingentesimo sexagesimo octavo in lucem emissi. Non enim videtur, ad ipsorum notitiam pervenisse, Michaelem Imperatorem e vivis fuisse ereptum, & quæ Basilius ad reduendam cum Ecclesia Romana concordiam fecisset. Tractatus Æneæ Parisiensis in septem quæstiones vel objectiones dividitur. In prima quæstione agit de Pre-

cessio

cessionem Spiritus Sancti, adducitque com-  
 plura loca ex Libro, qui S. Athanasii  
 esse credebatur, de Unitate Trinitatis.  
 Citat deinde S. Ambrosium, S. Cyrillum,  
 S. Hilarium, Didymum Alexandrinum,  
 tandem S. Augustinum aliosque Latinos  
 Patres. Nam in toto opere contexit  
 aliorum testimonia nihil ferme de suo ad-  
 dens.

Sæculum IX.  
 A.C. 868.

c. 20.

c. 35.

Secunda quæstio versatur circa Cæ-  
 libatum Ministrorum Ecclesiæ, affertque  
 primo verba S. Pauli, quibus Continen-  
 tiam deprædicat, tum Decretales Pon-  
 tificum, Siricii, S. Innocentii, S. Leonis,  
 auctoritatem Conciliorum & Patrum;  
 unde argumenta eruit, quæ non satis  
 stringunt.

1. Cor. 7. c. 25

In tertia Quæstione de jejunio in  
 Sabbatis & abstinencia in Quadragesi-  
 ma differit in hunc modum notatu di-  
 gnum: *Abstinencia diverse in diversis  
 regionibus servatur. In Ægypto & Pa-  
 læstina novem Septimanis ante Pascha je-  
 junant. In aliqua Italiae parte ab omni  
 alimento cocto tribus in hebdomada die-  
 bus per totam Quadragesimam abstinent,  
 fructibus arborum & oleribus, quibus il-  
 lae provinciae abundant, contenti. Ali-  
 bi vero, ubi tanta fructuum & olerum  
 copia non datur, aliquibus cibis ad ignem  
 coctis indigent. In Germania universa  
 toto Quadragesimæ tempore nec a lacte,*

c. 184.

T 2

nec.

Sæculum IX. *nec butyro, nec caseo, nec ovis, nisi forte*  
A. C. 868. *pauci ex privata devotione, abstinent.*

In quarta quæstione de Unctione Presbyterorum in fronte agitur. In quinta de more radendi barbam. In sexta de Primatu Papæ, ubi præcipue Epistola *ε. 218. p. III.* Pontificum citat, & in fine addit: *Imperator Constantinus Christiana Sacramplexus Roma excessit, quod dicitur, nullatenus oportere, duos Imperatores, alterum hujus terræ, alterum Ecclesie Principem, in una urbe regnare; quare Sedem Constantinopoli elegit, Romano vero & magnam de variis Provinciis partem Sedi Apostolicæ subjecit. Romano Pontifici Auctoritatem Regiam concessit, jubens hujus rei Acta conscribi, exinde per totum orbem vulgata. (\*)*

Nemo

(\*) Hic iterum suspicionibus mire torquetur Fleurii Adversarius, & queritur, ipsum, cum refert compendium Tractatus Æneæ Parisiensis illud solertissime omisisse, quod dicit, *Pontificibus potestatem esse judicandi in tota Ecclesia, nemini vero jus esse ipsos judicandi, vel eorum judicia retrahendi. Ad Summos Pontifices appellari posse a quocunque Judice, ab ipsorum vero sententia appellationem non dari.* Summorum Pontificum legitima in totam Ecclesiam Auctoritas a Jesu Christo accepta et Fleurii Historia sexcenties demonstratur; unde Adversarius Fleurii Belga, malam ipsius fiden

Nemo non videt, Æneæ sermonem <sup>Sæculum IX.</sup>  
 esse de illa Constantini Donatione, A. C. 868.  
 quam in postremis sæculis falsam depre-  
 hendimus. Hic vero notandum, hunc  
 primum esse Scriptorem, ut puto, qui  
 eam allegaverit. Ultimo Æneas respon-  
 det ad quæstionem de Diaconis per  
 saltum ad Episcopatum promotis. Fa-  
 ctum non negat, & dicit, Episcopatum  
 complecti totum Sacerdotium (\*) Ce-  
 terum

T 3

terum

persequens, Vulpanferem venatur, & bonas ho-  
 ras perdit. Eo magis etiam hæc a Fleurio po-  
 tuerunt bona fide omitti, quod tunc Græci ad-  
 versus Latinos non disputarent, qualis esset Ro-  
 manorum Episcoporum potestas, sed proterve  
 affirmarent, eam, qualiscunque esset, ab Epis-  
 copis Romanis ad Constantinopolitanos fuisse  
 translatum.

(\*) Hoc quidem verum; sed ideo difficilis  
 Quæstio, an Episcopatus sit Ordo absolute di-  
 stinctus a Presbyteratu, non definitur. Sive e-  
 nim dicas, esse absolute distinctum, occurrit ob-  
 jectio; quomodo possit distingui, cum Episcopo  
 non tribuatur nova potestas circa ipsum Cor-  
 poris Christi Sacrificium? Et quomodo Episco-  
 patus & Presbyteratus una Ordinatione confer-  
 ti potuerint? si tamen adeo constans est asser-  
 tio, aliquando una Ordinatione fuisse collatos;  
 nam paulo post videbimus, id factum fuisse, Ra-  
 tramum in suo Tractatu adversus Græcos sim-  
 pliciter negare. Sive dicas, Episcopatum non  
 esse,

Sæculum IX. terum, quis Photius esset, Aeneæ Parisiensis usque adeo erat ignotum, ut præsumeret,

esse Ordinem absolute a Presbyteratu distinctum, sed imperfecte tanquam partem a parte in aliquo toto; graviora obstant. Quippe, si ita est, cur Presbytero ordinato, si Episcopus conferretur, nova Ordinatione, nova manuum impositione, confertur Gratia in verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quæ omnia indicant Sacramentum Ordinis simpliciter distinctum? Præterea, Potestas Episcopalis ordinandi Episcopos & Presbyteros vel procedit ab Ordine vel a Jurisdictione? si dicas, quod procedat ab Ordine quoad substantiam ab Ordine Presbyteratus non distincto, cur non etiam admittis, Presbytero quoad substantiam Ordinem Episcopalem habenti dari posse Jurisdictionem ordinandi Episcopos & Presbyteros, sicut ei confertur iudicium absolvendi a peccatis? Si autem dicas, ordinare Episcopos, esse actum Jurisdictionis, cur illa Jurisdictio & potestas in Episcopis dicitur esse indelebilis? cur nova ordinatione confertur? cur, inquam, dicitur, simplici Presbytero non posse concedi, nec etiam ullo unquam tempore (quamvis in Conversione Germani Presbyteris non utilis modo, sed etiam necessaria fuisset) legitur fuisse concessa?

Quibus addi potest, quod, dum Episcopo in sua Consecratione nova potestas Summa in Ecclesia Sacerdotes ordinandi tribuitur, etiam nova potestas si non proxima, remota tamen

meret, esse virum nuptiis illigatum, qui ex brachiis uxoris suæ evocatus, in eodem Episcopalem translatus fuisset. Sæculum IX.  
A. C. 868.

## §. XV.

*Ratrami Tractatus de Processione Spiritus Sancti.*

Ratrami Tractatus adversus Græcos majoris ponderis est, quam Scriptum to. 8. Cont.  
p. 477.  
Æneæ. Ille in Præfatione sua adnotat, Græcos cum tempore Ludovici pii Francis scriberent, nihil ejusmodi objecisse. Tunc scilicet, quando Michael Balbus contra imagines scripsit. Item Ratramus Græcis exprobrat, inter ipsos, & Sup. Lib.  
XLVII.  
S. 2.  
potissimum Constantinopoli, complures Hæresiarchas fuisse natos, nullum vero unquam in Sede Romana (\*) extitisse. Attamen Liberii Papæ lapsum non inficiatur.

T 4

Ratra-

men in ipsum Corpus Christi verum conferatur. Sicut Ordines minores veri & distincti sunt Ordines, quamvis potestatem in Corpus Christi verum non proximam sed remotam conferant.

(\*) Signum evidens, quod Deus singulari providentiâ hanc Ecclesiam custodiat, juxta promissum Christi Domini: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc. 22.

Sæculum IX.

A. C. 868.

to. 2. Spicil.

l. 1. c. 2.

Ratramus Tractatum suum in quatuor libros divisit, atque in tribus prioribus de Processione Spiritus Sancti egit, in ultimo ad omnes alias objectiones respondit. Initio queritur, quod Imperatores de Doctrina & Ritibus Religionis disputent, *ipsorum in Ecclesia*, inquit, *officium est discere, non vero docere. Negotiis Reipublicæ invigilent, Leges sæculares ferant, intra suos limites se contineant, & Episcoporum Ministerio se non implicant. Qua auctoritate Doctores veri nati rejiciunt Doctrinam, quam Majores eorum semper venerati sunt? Ecclesia Romana nec novam Doctrinam, nec novos Ritus admittit.*

c. 3.  
Joan. 15.  
26.

Tum ad ipsam Quæstionem procedens ex Sacra Scriptura probat, S. Spiritum æque a Filio ac a Patre procedere. *Jesus Christus dicit ad discipulos suos: cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit. Sistitis, inquit, in verbis: qui a Patre procedit, & non attenditis illa: quem ego mittam vobis a Patre. Edicite, quomodo Spiritus Sanctus a Filio mittatur? nam nisi dicitis, banc Missionem esse Processionem, dicitis esse obsequium, & cum Ario Spiritum Sanctum Filio minorem facietis. Extra omnem dubitationem positum est, cum Christus dicit, se mittere Spiritum Sanctum*

Etum, eo ipso dicere, Spiritum Sanctum Sæculum IX.  
 etiam a se procedere. Forsan objicietis, A. C. 868.  
 Christum non dicere simpliciter: quem  
 ego mittam, sed adjicere: a Patre. Hanc  
 objectionem primi procuderunt Ariani,  
 cum vellent varios gradus in Trinitate  
 constituere. Sed potius, Filius dicit, mit-  
 tere se Spiritum Sanctum a Patre, quia  
 a Patre habet, quod Spiritus Sanctus a  
 se procedat. Ceterum, cum dicit, Spiri-  
 tum S. a Patre procedere, non negat, Spiritus S.  
 etiam a se procedere. Sed magis subjun- a Filio pro-  
 git: Ille me clarificabit; quia de meo ac- cedens.  
 cipiet, & annuntiabit vobis. Joan. 16.  
 Quid aliud 14.  
 S. Spiritus a Filio accipiat, nisi eandem Joan. 16.  
 Substantiam, dum procedit ab eo? Ideo  
 Christus adjecit: omnia, quæcunque ha-  
 bet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia  
 de meo accipiet, & annuntiabit vobis.  
 Porro, si omnia quæ habet Pater, etiam Fi-  
 lii sunt, Spiritus Patris est etiam Spiri-  
 tus Filii. Atqui Spiritus Sanctus nec  
 unius est nec alterius, tanquam minor,  
 vel subditus, ergo tanquam ab uno & ab  
 altero procedens. Hinc etiam appellatur  
 Spiritus Veritatis; sed & Filius Veritas Joan. 14. 6.  
 est, sicut ipsemet dicit. Et S. Paulus do- Ratr. c. 4.  
 cet: misit Deus Spiritum Filii sui in cor- Gal. 4. 6.  
 da vestra. Ecce, non dicit, Spiritum suum, Rom. 8. 9.  
 sed Spiritum Filii sui. Nunc vero, an 1. Pet. 1. 10.  
 alius est Spiritus Filii, & alius Spiritus Philip. 1. 19.  
 Patris? si autem est Spiritus utriusque, Act. 16. 7.  
 ab Tit. 3. 5.  
Act. 2. 33.



Sæculum IX. *ab utroque etiam procedat, necesse est.* (\*)

A. C. 868. Tunc Auctor complures alios Textus affert, in quibus Spiritus S. vocatur Spiritus Jesu Christi, Spiritus Jesu, & ubi dicitur, quod Spiritum S. in Fideles effuderit.

c. 2. In Libro secundo Ratramus afferit Auctoritatem Patrum, & primo Concilii Niceni. *Illud in suo Symbolo simpliciter dicit: credimus etiam in Spiritum Sanctum. Cur Regulam nobis objicitis, quam non observastis? cur vos Symbolo Concilii Niceni adjecistis: qui a Patre procedit? Adjecimus has voces, dicitis, Auctoritate Concilii Constantinopolitani, quia quæstiones de Spiritu Sancto supervenerant. Bene factum. Cur vero Ecclesiæ Romanæ potestatem ademptam vultis adjiciendi, auctoritate Sacræ Scripturæ, vocem: Filioque, ut aliis quæstionibus via obstrueretur? Si dicitis, S. Scripturam disertis verbis non dicere, Spiri-*

(\*) Dicit Fleurii Adversarius Belga; M<sup>r</sup>. Fleury fait Theologien. At vero, Fleurio ne quidem in mentem venisset, Theologiæ Dogmaticæ medullam circa altissimam Religionis Mysteria ex SS. Patribus colligere, nisi in hoc quoque scientiæ genere fuisset versatissimus. D. Jögger in suo Dictionario Virorum Illustrium articulum de Fleurio nostro inchoat his verbis: Claudius Fleury ein Römisch-Catholischer Theologus.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

*Spiritum Sanctum procedere a Filio, quamvis implicite dicat. Ostendite nobis, ubi S. Scriptura clavis verbis dicat, Spiritum S. cum Patre & Filio esse adorandum & glorificandum, eumque locutum fuisse per Prophetas, quæ verba in Concilio Constantinopolitano occurrunt! at vero necessarium fuit disertis verbis dicere, Spiritum S. procedere a Filio, ad eos damnandos, qui dicebant, Spiritum Sanctum, cum tantum a Patre procederet, esse alterum Filium, & non esse Filii Spiritum.*

Ex Patribus Græcis Ratramus primo citat S. Athanasium, sed non alia Opera quam supposititia, nempe Symbolum, quod hodie Vigilio Thapsensi Auctore conscriptum creditur, Librum de propriis Personis, alio nomine, octo Libros de Trinitate, & disputationem adversus Arium, memorati Vigilii Opus. Citat etiam S. Gregorium Nazianzenum & Didymum Alexandrinum. At præcipua argumenta a Patribus Latinis accipit, quos a Græcis rejici non posse demonstrat, nisi se ipsos Schismaticos prodere velint, si dicant apud se solos inveniri Ecclesiam. S. Ambrosius diserte dicit, S. Spiritum a Patre & Filio procedere. S. Augustinus explicans Evangelium S. Joannis, hanc quæstionem ex instituto pertractat, & docet, S. Spiritum procedere a Patre & Fi-

lio

Sæculum IX. lio, quia tam unius quam alterius Spiritus est. Cum econtra Filius solius Patris Filius sit, & Pater sit solius Filii Pater.

*n. 8.* *Quare ergo, objicit sibi, Filius simpliciter dicit, S. Spiritum procedere a Patre? quia videlicet omnia refert ad eum, a quo & ipse proficiscitur. Sicut in illo loco, ubi dicit: mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* S. Augustinus eadem repetit in Opere de Trinitate, ubi hanc Doctrinam fusius explicat.

*Joan. 7. 16.*

*Trin. c. 17.*

*26. 27.*

## §. XVI.

*Articuli ad Disciplinam pertinentes.*

**R**atramus in suo Libro quarto ceteras novem objectiones, quas Græci adversus Latinos afferebant, refutat. Hac silentio præteriri potuissent, inquit, cum Fidem non tangant, nisi amovendum esse periculum pusillos scandalizandi. Hic solum agitur de consuetudinibus Ecclesiarum, quæ semper diversæ fuerunt, & ubique similes esse nequeunt. Principio in Ecclesia Jerosolymitana Bona erant communia; sed aliæ Ecclesiæ hujus exemplum sequi non tenebantur. Tum refert Socratis locum de variis Ecclesiarum consuetudinibus.

*c. 1.*

*c. 2.*  
*Socr. V. hist.*

*c. 22.*

*Sup. lib.*  
*XXVI. c.*  
*50.*

Ad cetera digrediens, incipit a jejuniis Sabbati, & affirmat, illud a plerisque Ecclesiis in Occidente non observari.

ri, sed eum morem in Ecclesia Alexandri-<sup>Sæculum IX.</sup>  
na, sicut in Romana vigere. Denique A. C. 868.  
hæc consuetudo pro lubitu recipi vel re-  
jici potest. Tum citat epistolam S. Au-  
gustini ad Casulanum & subjungit, quod  
in Magna Britannia mos fuerit jejunare  
singulis Feriis sextis, & in Monasteriis  
Hiberniæ toto anno, exceptis Dominicis  
& Festis. *Sane mirari lubet*, inquit,  
*quod nos in Sabbato jejunantes reprehen-*  
*dant Græci, qui non damnant in toto*  
*Oriente jejunantes die Mercurii & die*  
*Veneris, licet ad hæc jejunia Constantino-*  
*poli nemo teneatur.*

Objiciunt nobis, quod non per octo se-<sup>6. 4.</sup>  
ptimanas ante Pascha a carnibus, & per  
septem ab ovibus & caseo abstineamus, quasi  
vero unam consuetudinem omnes serva-  
rent, cum tamen permulti ante Pascha sex  
solummodo Septimanis, alii septem, alii  
octo, & non nulli etiam novem jejunent. Jejunium.  
Atque illis, qui septem aut octo septima-  
nis jejunant, non satis est simplex absti-  
nentia illo tempore, quod sextam Septima-  
nam præcedit. Quantum abest jejunium  
Græcorum a perfectione illorum, qui to-  
to Quadragesimæ tempore nihil ad ignem  
coctum comedunt, aut tantum olera sine  
pane, aut semel tantum vel bis in hebdo-  
mada reficiuntur! Omnes consentiunt, je-  
junium Paschale quadraginta dierum esse  
oportere; sed quidam jejunant sex inte-  
gris

Sæculum IX. *gris septimanis, si Dominicos dies exci-*  
A. C. 868. *pias, & quatuor diebus Hebdomadæ septi-*  
*mæ, sicut Ecclesia Romana, & totus Oc-*  
*cidens; alii nec in Sabbatis, nec in Domi-*  
*nicis jejulant, alii etiam diebus Jovi-*  
*non abstinent, & octo vel novem Septima-*  
*nas conjungunt, ut quadraginta dierum*  
*numerum impleant.*

e. 5. Tonderi, barbam aut capillos radere,  
 est consuetudo nec mala nec bona, &  
 operæ pretium non est, ut Græci talia  
 memorent. Id solum Ratramus notat,  
 Tonsuram Clericalem nihil aliud fuisse,  
 quam cujuscunque priorum capillo-  
 rum coronam, qualem in illius ætatis  
 schematibus conspicimus. De Cæliba-  
 tu Presbyterorum gravior est quæstio.

e. 6. *Obstupefendi omnino locus est, inquit,*  
*si Græci non intelligant, quod hac in re*  
*Romani laude digni sint; si vero intelli-*  
*gant, condolendum profecto, quod contra*  
*testimonium propriæ conscientiæ ista effie-*  
*tiant. Si matrimonium ille damnat, qui*  
*abstinet; ergo damnarunt omnes Sancti*  
*qui cælibes vixerunt, & ipse JESUS Chri-*  
*stus, qui illud tamen, cum nuptiis inter-*  
*fuit, sua auctoritate approbavit. Chri-*  
*sti, Sanctorumque exempla Romani sequun-*  
*tur, cum apud illos nuptiæ celebrentur.*  
*At Presbyteri morem gerunt consiliis S.*  
*Pauli, & nuptiis renunciant, quo a nego-*

*z. Cor. 7. & c. tiis sæculi sint expediti, atque liberius*  
*oratio*

orationi & sancto suo Ministerio vacare  
valeant.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

Soli Episcopi Baptizatos Sacro Chris-  
mate in fronte ad conferendum eis Spiri-  
tum Sanctum ungant. Præter Traditio-  
nem Ecclesiæ habemus etiam auctoritatem  
Scripturæ in Actis Apostolorum, ubi S.  
Petrus & S. Joannes in Samariam missi  
dicuntur, ut per impositionem manuum  
Spiritus S. baptizatis communicarent.  
Hic Ratramus Decretalem Innocentii I.  
Papæ ad Decentium citat. Ad illud  
quod objiciebant Græci, Latinos Chris-  
ma ex aqua conficere, hoc, inquit, est pu-  
tidum mendacium. Nos enim Chrisma  
sicut in omnibus aliis Ecclesiis ex balsa-  
mo & oleo miscemus. Illud quoque com-  
mentitium, apud nos consecrari agnum,  
atque in Episcopos ordinari Diaconos, qui  
nunquam Presbyteratus Ordinem recepif-  
sent. (\*) At Græci, qui nobis hæc obji-  
ciunt, Episcopum ex simplici Laico ordi-  
nant. Quamvis Ratramus hæc duo fa-  
cta absolute neget, de primo tamen Wa-  
lafridus

c. 7.

Act. 8. 14.

Sup. lib.  
XXIII.  
S. 32.

c. 8.

vid. Mabill.  
præf. tom. 6.  
n. 162.

(\*) Saltem id ex negatione Ratrami sequitur;  
ejusmodi Ordinationes fuisse rarissimas, nec hu-  
jus rei veritatem fuisse satis exploratam, quam  
Ratramus ignoraret, alias vir eruditissimus. Ce-  
terum si de tali ordinatione constaret, validum  
esset argumentum pro affirmantibus Episcopa-  
tum & Presbyteratum unum esse Ordinem.

Sæculum IX. lafridus Strabo, ejusdem sæculi Scriptor  
 A.C. 868. qui ante has turbas decesserat, fatetur  
 in quibusdam locis morem fuisse conse-  
 crandi agni prope Altare in die Pasche,  
 quod tanquam de superstitionis Judæ-  
 cæ seminario natum damnat. Nihilominus  
 in Ordine Romano hodieque nota-  
 tur Benedictio Agni in Die Resurre-  
 ctionis, estque simplex oratio, quæ  
 etiam panis & aliæ escæ benedicuntur,  
 quod Græci immerito reprehendissent.  
 Si quid gravius subfuit, abusus hic erat,  
 quem Latini æque ac Græci damnabant.  
 Quod vero spectat ad Diaconos in Epi-  
 scopos evedtos, istud non nunquam fa-  
 ctum, ut superius observavimus, Aeneas  
 confitetur.

Ratramus ultimo defendit Ecclesie  
 Primatum, quem cum Imperio Roma-  
 no Constantinopolim migrasse Græci som-  
 niabant. Attamen, inquit, Socrates His-  
 toriæ Scriptor, natione Græcus, ubi de  
 Concilio Antiocheno ab Arianis celebra-  
 to ipsi sermo est, dicit, Julium Episco-  
 pum Romanum nec per se, nec per Vice-  
 rium huic Concilio interfuisse, cum tamen  
 sine consensu Episcopi Romani Concilia  
 celebrare Lege Ecclesiastica vetitum sit.  
 In Concilio Sardicensi omnibus Episcopis  
 depositis ad Episcopum Romanum appel-  
 landi licentia fit. Papæ per suos Lega-  
 tos omnibus Conciliis Oecumenicis in  
 Oriente

Oriente celebratis sicut etiam Niceno per Sæculum IX.  
 Osium Episcopum, Victorem & Vincen- A. C. 868.  
 tium Presbyteros, præfuerunt. Conci-  
 lia, quæ Romani Episcopi confirmarunt  
 sua approbatione, in Ecclesia recepta fue-  
 re, quæ ipsi rejecerunt, horum nulla est  
 Auctoritas. Illa deinde refert, quæ sub  
 Sancto Leone ad abolendum Concilium  
 Ephesinum, & Calcedonense celebra-  
 dum acta sunt, atque omnia ex epistolis  
 Imperatorum & hujus S. Papæ probat.  
 Transit deinde ad argumenta a Vicaria-  
 tu Thessalonicensi deducta. Tandem  
 Episcopum Constantinopolitanum sem-  
 per Papæ fuisse subditum demonstrat, (\*)  
 &

(\*) His Ratrami argumentis Protestantes egre-  
 gie refelluntur. Guilielmus Cave in Sæc. Phot.  
 Articulo de Ratramo ait: Anno 866. cum con-  
 troversia Latinos inter & Græcos glisceret, Ec-  
 clesie Gallicanæ Doctores a Nicolao Papa roga-  
 ti, ut Occidentalium causam adversus Græcos  
 agerent; & in his suadente Hincmaro suas etiam  
 partes tenuit Ratramus noster, quas strenue &  
 nerveose obiit. Et infra: Vir erat pius, mode-  
 stus, & haud dubie eruditus, a doctissimis qui-  
 busque sui Sæculi viris magni habitus, quia &  
 excepta lite Eucharistica ab ipsis Scriptoribus  
 Pontificiis summis Elogiis ornatus. Itane, Do-  
 mine Guilielme, Ratramus vester (si Diis placet)  
 strenue & nerveose partes suas sustinuit? atqui in  
 Hist. Eccles. Tom. XII. U hoc



Sæculum IX. & putat illum, quando ei Titulus Patriarchæ & locus secundus concessus est, solummodo Titulum honoris sine Jurisdictione accepisse.

## §. XVII.

*Concilium Wormatiense.*

*Ann. Fuld.* In Germania quoque non defuerunt, qui  
868. *to. 8.* Græcorum calumnias refellerent, quorum  
*Conc. p. 941.* Scripta in Concilio Wormatiæ decima sexta Maji anno octingentesimo sexagesimo

hoc Tractatu strenue & nervose asserit Romani Pontificis auctoritatem & in tota Ecclesia jurisdictionem, dicit, nulli Concilio Oecumenico suam constare auctoritatem sine Romani Episcopi consensu, affirmat, Concilia omnia a Romano Pontifice approbata, rata perstitisse, ceterorum nullam esse auctoritatem, defendit, Episcopos Constantinopolitanos nunquam non Romano Pontifici subjectos. An forsan, quæ adversus Græcos a viro pio, modesto, eruditissimo nervose dicta sunt, contra te, Græcis consentientem, non valeant? Ceterum, Ratramnum contra substantiam Doctrinæ Catholicæ de Eucharistia non pugnasse superius demonstratum. Illud tandem ridiculum, quod dicit Cave, Ratramnum a quibusvis sui sæculi viris doctissimis magistri habitum, & ab ipsis Scriptoribus Pontificiis ornatum. Quasi vero in illo Sæculo præter Scriptores Pontificios alii, nisi forte Photius, existissent, aut ipse Cave in hoc Sæculo nominare alios potuisset.

sexagesimo octavo celebrato, Ludovico Rege præfente, fuere approbata. In eodem Concilio permulti Canones, ad Disciplinam pertinentes, conditi. Sunt qui octoginta numerent, sed in exemplaribus optimis solummodo quadraginta occurrunt. In his Canonibus, qualis pœnitentiæ publicæ usus viguerit, & varii pœnitentium gradus, sicut in epistolis Nicolai I. Papæ, dignoscuntur. Dominis auctoritate privata servos suos occidere prohibetur; sed pœnitentia ultra annos duos non extenditur. Pueri Monasteriis a parentibus oblatis adhucdum secundum S. Benedicti Regulam, & Concilium Toletanum quartum teneri censentur.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

Not. Surii.  
p. 954.

Can. 25. 26.  
27. &c.

c. 38.  
c. 22.  
Reg. c. 59.  
Conc. Tol.  
c. 49.

§. XVIII.

*Epistolæ Basilii & Ignatii ad Papam datæ.*

Responfa ad objectiones Græcorum data tunc quidem effectu caruerunt, quoniam, Photio earum auctore pulso, nemo fuit, cui de his disputare curæ esset. (\*) Nemo prius de Photio ejecto & Ignatio restituto quam Euthymius Spatharius, Imperatoris Legatus, Romam nuncium attulit. Porro Theognostus

Ep. Had.  
to. 8.

Conc. p. 1086

U 2                      Abbas,

(\*) Erga tunc Schisma potius solius Photii, quam Græcorum dicendum erat.

Sæculum IX. Abbas, ab Ignatio Monasteriorum in quibusdam provinciis Exarchus constitutus  
 A. C. 868. qui ejusdem Patriarchæ querelas ad Papam detulerat, & ab annis circiter septem  
*Sup. lib. L.* Romæ morabatur, cum bonum nuncium  
 §. 14. accepisset, cum Euthymio Constantino  
 to. 8. Conc. polim rediit, eique Papa epistolas duas,  
 p. 1084. alteram ad Imperatorem Basilium, alteram ad Ignatium Patriarcham, prima Augusti, Indictione prima, nempe anno octingentesimo sexagesimo octavo datas commisit. In utraque edicet, se omnia illa, quæ Nicolaus Papa in causa Ignatii & Photii egisset, rata & firma conservaturum.

Haud multo post tempore, ex quo Euthymius Romam advenisset, Joannes quoque Metropolitanus Sylei, alio nomine Perges in Pamphilia, Ignatii Apocri-farius, & Basilii cognomento Pinacas, Spatharius, & Basilii Imperatoris Legatus in Urbem pervenerunt. Petrus vero Metropolitæ Sardenfis, Photii Apocri-farius, in itinere periit naufragio, ex quo unicus Monachus, nomine Methodius salvus evasit. Is deinde Romam se contulit, ubi ter ad iudicium vocatus, cum non venisset, anathemate percussus est, & abscessit. Hadrianus vero Papa Patriarchæ & Imperatoris Legatos in Sacrario Sanctæ Mariæ Majoris de more Episcopis & Optimatibus præsentibus

bus exceptit. Intran̄t Græci inter sum-  
 mæ venerationis signa, & epistolas atque  
 dona ad Nicolaum Antecessorem ejus  
 directa Hadriano reddunt. In epistola  
 Basilii Imperatoris mentio fiebat litera-  
 rum Euthymio commissarum, & cum  
 Constantinopolitani necdum scirent, an  
 illæ Romæ fuissent acceptæ, Summa re-  
 petitur in hunc modum: *Cum Imperium  
 suscepimus, inquit Imperator Basilius, ha-  
 buimus Ecclesiam nostram legitimo suo  
 Pastore privatam & mercenarii cujus-  
 dam tyrannidi subjectam. Unde Photium  
 ejecimus, acquiescere jussim, & revocavi-  
 mus Ignatium Patrem nostrum, manife-  
 ste oppressum, & innocentem declaratum  
 per complures epistolas vestras, quas ad-  
 versarii solertissime occultarunt. Jam  
 vero vestrum est, ea quæ fecimus, rata ha-  
 bere, & reliqua componere; nimirum de-  
 cernendum vobis est, quid de illis facien-  
 dum, qui cum Photio communicarunt.  
 Sunt quidam Episcopi & Presbyteri, qui  
 ab Ignatio ordinati, cum datis litteris se  
 obligassent, ab eo nunquam recessuros, fi-  
 dem fefellerunt. Alii a Photio ordina-  
 tionem acceperunt. Permulti eundem qua  
 compulsi, qua seducti, secuti sunt. Quia  
 vero omnes ferme Episcopi & Presbyteri  
 nostri hanc culpam admiserunt, rogamus,  
 ut super eos vestra misericordiæ viscera  
 commoveri sinatis, ne tota nostra Eccle-*

Sæculum IX. *sia naufragio intereat. Præprimis par-*  
 A.C. 868. *cendum est illis, qui pænitentiam agere vo-*  
*lentes ad te Summum Sacerdotem conuo-*  
*lant. Qui vero in viam rectam reduci*  
*volunt, pœnas canonicas effugere non possunt. (\*)* Hæc epistola undecima Dec  
 anno 867. data.

p. 1009. Ignatii Patriarchæ epistola summam  
 eadem continet; atque in exordio Igna-  
 tius Primatum Papæ, ejusque Auctorita-  
 tem, qua ad sananda totius Ecclesiæ vul-  
 nera præditus est, sincere profitetur. Re-  
 censet, quantas ærumnas Joannes Syles  
 Legatus suus, & Petrus Episcopus Troa-  
 denus, quem ei itineris socium dederat,  
 pertulerint. Compluribus, quos ipse or-  
 dinasset, durasse constantiam dicit, &  
 subjungit: *Paulus Archiepiscopus Cæsari-*  
*ensis in Cappadocia, a Photio ordinatus,*  
*etsi in priore Concilio nobis fuerit aduer-*  
*satus, in secundo tamen nos damnare vo-*  
*lentibus fortiter se opposuit.*

vit. Hadr. His epistolis Hadriano Papæ reddi-  
 p. 888. tis, Græcorum Legati Sanctæ Romanæ  
 Ecclesiæ multiplices gratias retulerunt,  
 cujus conamine Ecclesia Constantinopo-  
 litana

(\*) Hoc Testimonium contra Protestantes  
 vel ideo est validissimum, quod nulla causa, nul-  
 lum emolumentum temporale appareat, cur Ba-  
 silius Græcorum Imperator Romano Episcopo  
 adulari voluisset.

litana a schismate purgata fuisset, & ad Sæculum IX. A. C. 868.  
 jecerunt: *Imperator Basilius & Patriarcha Ignatius, Photio ejecto, librum repperunt, calumniis adversus Ecclesiam Romanam, & Nicolaum Papam plenum, quem tibi bullatum, ad eum examinandum miserunt, petentes, ut tanquam Summum (\*) Ecclesiæ Caput declares, quid de illo conciliabulo sentiendum sit. Papa respondit: Placet hunc librum examinare, quo ejusdem Auctoris jam tertio condemnetur. Tum egressus Metropolitæ, iterumque ingressus, librum exhibuit, & in terram projecto imprecatus, tu maledictus, inquit, Constantinopoli, sis Romæ iterum maledictus! & Spatharius, calce suo, enseque librum percutiens, credo, ait, quod in hoc opusculo Diabolus habitet, quia per os Photii, quod ipse dicere nequit, eructat. Nam & Subscriptionem Imperatoris Basilius Domini Nostri, falsissime continet, post Nomen Michaelis, quem quadam nocte ebrium Photius ad subscribendum compulit. Eam vero Subscriptionem Basilius non esse, satis manifestat Ignatii Patriarchæ Restitutio; quod non recusamus juramento affirmare. Sed Photius Basilius manum, quemadmodum*

U. 4

dum

(\*) Hujusmodi Græcorum Testimonia tam contra ipsos Græcos Schismaticos, quam contra omnes ab Ecclesiæ Romanæ Communionem separatos, invicta & æterna monumenta sunt.

Sæculum IX. *dum & aliorum Episcoporum absentium*  
A.C. 868. *insigni fraude imitatus est. Nemo Con-*  
*stantinopoli Conciliabulum istud celebrari*  
*vidit, quia nunquam celebratum fuit.*  
*Sed Photius arrepto prætextu quod Con-*  
*stantinopoli nunquam non, sicut & hic Ro-*  
*mæ, ex illa Provincia complures Episcopi*  
*versentur, dicitur, deficientibus Episco-*  
*pis, multos homines e diversis civitatibus*  
*fugitivos pecunia corruptos, ad subscri-*  
*bendum adegisse. Inde est, quod diversi*  
*appareant caracteres, jam acutiore penne,*  
*jam grossiore, jam qui virorum vacillan-*  
*te manu ob decrepitam ætatem membra-*  
*nam inquinantium credi possint. Hic*  
*quidem scriptionis varietatem videbitis,*  
*sed totam nequitiam, nisi Constantinopo-*  
*lim miseritis, qui inquirent, non cognos-*  
*scetis.*

## §. XIX.

*Concilium Romanum.*

**E**rgo Summus Pontifex librum utrius-  
 que linguæ græcæ & latinæ peritis  
 tradidit, qui eum accurato examini sub-  
 jicerent. Tum consentiente Senatu po-  
 puloque Concilium in Basilica S. Petri  
 convocat, ubi Legati Constantinopolita-  
 ni auditi, & Literæ Nicolai Pontificis re-  
 citatæ. Mox Joannes, Ecclesiæ Roma-  
 næ Archidiaconus, postea Papa, Hadria-  
 ni nomine sermonem legit, in quo post-  
 quam

to. 8. p. 1087.

quam Photii crimina exposuit, & Nico-  
 lai Papæ eundem damnantis constan-  
 tiam laudavit, dicit: *Deliberate ergo,*

*Fratres mei, quid a nobis tam de isto  
 Conciliabulo Actisque profanis, quam de  
 illis, qui subscripserunt, statuendum sit.  
 Edicite, quid censeatis; ad me quod spe-  
 etat, omnia sustinere, etiam ipsam mor-  
 tem, pro Lege Dei, pro auctoritate Cano-  
 num, pro Sacræ Sedis privilegiis, pro me-  
 moria & Actis Nicolai Papæ Antecesso-  
 ris mei, non recuso.* Hoc sermone reci-  
 tato, Gaudericus Episcopus Velitrensis  
 Responsum nomine Concilii legit, in  
 quo Episcopi Pontificem ad damnandum  
 Conciliabulum, Constantinopoli ab ho-  
 minibus Photianæ factionis, regnante  
 Michaele habitum, exhortantur. Por-  
 ro Marinus Diaconus secundum sermo-  
 nem Papæ legit, in quo dicit: *Cum Li-  
 ber continens Acta hujus Conciliabuli ad  
 nos a Patriarcha & Imperatore missus  
 fuerit, jam decernamus, quid de eo fa-  
 ciendum. Ego quidem censeo, hunc ne-  
 quitie partum cunctis, & præcipue Lega-  
 tis Græcorum præsentibus, esse tradendum  
 flammis, & in cineres redigendum. Con-  
 cillium per os Formosi Episcopi Portuen-  
 sis respondit: *Iusta est hæc sententia,  
 omnes eam approbamus, rogamus te, ut  
 eam opere compleas.* Petrus deinde Dia-  
 conus & scriniis præfectus legit tertium*



Sæculum IX. Papæ sermonem, in quo in temeritate  
 A. C. 868. Photii intolerabilem, qui Nicolaum Pa-  
 pam damnare ausus fuisset, invehitur. *Siquidem Romanum Pontificem, inquit, de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo vero quemquam iudicasse non legimus. Licet enim Honorium ab Orientalibus post mortem anatHEMA sit dictum, sciendum tamen est, quod fuerit Hæresis accusatus, propter quam solam vitium est minoribus majorum suorum voluntati resistere; quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cuiquam fas fuerit de eo proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis præcessisset Auctoritas. (\*)* In hoc loco Hadrianus, damnatum fuisse Honorium disertè fatetur. Benedictus Notarius & Scriniarius alterum legit Concilii Respon-

(\*) Mirum! quod Hadrianus Papa Honorii memoriam sine necessitate damnet, cum superius Num. X. in epist. ad Episcop. Franciæ dixisset ad honorem Antecessoris sui Nicolai: *Si modo (Nicolai Adversarii) facta propria excusent, non vero accusent Magnum Pontificem, qui nunc coram Deo stat, & quem in vivis agentem nemo arguere ausus est.* Certe Honorium Papam in vivis agentem nemo accusavit. Ceterum ex his saltem dispicitur, Hadrianum Papam illam tenuisse sententiam, quod unius Pontificis error Sacræ Sedis infallibilitati non noceat.

sponsum, in quo ab exemplis Joannis Antiocheni & Dioscori confirmatur assertio, Superiorem ab Inferiore judicari non posse. Nihilominus Episcopi Papam rogant, ut satis esse putet, Photium damnare, & complicibus parcat, si modo tam viva voce quam datis literis, quæ ipso Duce egerunt, damnaverint.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

Tunc vero Papa suo ore pronuncia-  
vit sententiam quinque articulos com-  
plexam in hunc sensum: *Decernimus,*  
*ut Conciliabulum non multo abhinc tem-*  
*pore a Photio & Imperatore Michaeli*  
*ejusdem Fautore adversus Apostolicæ Se-*  
*dis reverentiam congregatum, utpote ve-*  
*ritatis inimicum & omni falsitate reple-*  
*tum, aboleatur, igni devorandum trada-*  
*tur, & anathemate perpetuo feriatur.*  
*Idem de ceteris scriptis, quæ tam Photius*  
*quam Michael diversis temporibus contra*  
*S. Sedem vulgarunt, & de duobus Con-*  
*venticulis ab iisdem adversus Fratrem*  
*nostrum Ignatium statuimus, eaque me-*  
*dullitus execramur. Damnamus iterum*  
*Photium, juste ob crimina ante patrata*  
*tam a nobis quam ab Antecessore nostro*  
*damnatum, ob delicta recentiora, cum po-*  
*nens in cælo os suum contra Nicolaum*  
*Papam & contra nos nova temeritate*  
*prorupit, & anathematis nexibus innoda-*  
*mus. Nihilominus, si viva voce, ac scri-*  
*pto proprio nobis in omnibus, quæ tam*  
*per*

p. 1093.

c. 1.

c. 2.

Sententia in  
Photium.

c. 3.

Sæculum IX. per nos quam per Antecessorem nostrum  
 A. C. 868. statuta sunt, obedire sponderit, & Con-  
 ciliabuli sui Acta damnaverit, Laicæ Com-  
 munionis ei gratiam non negamus. Illi  
 e. 4. vero, qui consenserunt, aut Conciliabu-  
 lo subscripserunt, si Decretis Antecesso-  
 ris mei obedierint, & ad communionem  
 Ignatii Patriarchæ redierint, si Concilia-  
 bulum anathematizaverint, & exempla-  
 ria combusserint, Ecclesiæ Communionem  
 fruuntur. At filium nostrum Impera-  
 torem Basilium, cum ejus nomen illis Actis  
 falso adscriptum sit, sicut etiam Ignatii  
 Patriarchæ, ab omni damnationis senten-  
 tia liberamus, & in numerum Imperatorum  
 (\*) Catholicorum recipimus. Qui-  
 cunque, si ad ejus notitiam hæc Sanctæ  
 Apostolica pervenerit, Exemplaria illius  
 Conciliabuli penes se retinuerit, ea non  
 indicaverit, vel igni tradiderit, excom-  
 municetur, vel si Clericus est, deponatur.  
 Quæ non solum de Constantinopolitanis,  
 sed & Alexandrinis, Antiochenis, Jero-  
 solymitanis atque de omnibus omnino Fi-  
 delibus decernimus.

Huic

(\*) Ex his videmus, SS. Pontifices non existi-  
 mase, Imperatoribus Orientis, cum Carolus Ma-  
 gnus a Leone III. in Occidente coronatus esset,  
 aut jus in Provincias, quas possidebant, aut Di-  
 gnitatem Cæsaream fuisse ademptam.

Huic Sententiæ subscripserunt triginta Episcopi. Primi duo conspiciuntur Hadrianus Papa, & Joannes Archiepiscopus Ignatii Patriarchæ Legatus. Post nomina Episcoporum visuntur nomina Cardinalium, id est, Ecclesiæ Romanæ Presbyterorum novem, & Diaconorum quinque. Ceterum hæc acta veterum Conciliorum Actis non erant similia, nec simpliciter referebantur verba in ipso Conventu prolata, sed sermones, prius in otio compositi; quod ad Concilium anno 649. a S. Martino Papa habitum observavi. Concilio soluto, Liber, quem Constantinopoli attulerant, Acta Concilii Photiani continentem, ante fores in gradibus ponitur, calcatur, & in rogam ingentem conjectus consumitur.

## §. XX.

*Anastasius Bibliothecarius excommunicatur.*

Conjectura est, in eodem Concilio Anastasium Bibliothecarium Excommunicationis fulmine fuisse percussum. Accidit die decima Martii eodem anno octingentesimo sexagesimo octavo Feria IV. primæ septimanæ in Quadragesima, ut Eleutherius filius Arsenii Episcopi, olim in Francia Legati, filiam Hadriani Papæ alteri desponsatam deciperet, raperet, & illicito connubio sibi copularet.

Sæculum IX.  
A. C. 868.

Sup. lib.  
XXXVIII.  
§. 53.  
vit. Hadr.  
p. 889.

Sæculum IX. ret. Arsenius Beneventum ad Ludovicum Imperatorem se recepit, ubi morbo correptus, divitiis suis in potestatem Ingelbergæ Imperatricis traditis, sine Communione, atque cum Dæmonibus, ut aliqui referebant, confabulans, decessit. Arsenio defuncto Hadrianus Papa Mandatarios ab Imperatore obtinuit, qui secundum Legum Romanarum rigorem Eleutherium judicarent. Hic vero, malum! Stephaniam Papæ conjugem, eorumque filiam, a se raptam, novo scelere necat, quod atrox facinus impellente fratre suo Anastasio, quem Hadrianus, cum Pontificatum auspicaretur, Bibliothecæ Ecclesiæ Romanæ præfecerat, ausus fuisse dicebatur. Judices ab Imperatore delegati Eleutherium ad mortem damnatum interfecerunt; (\*) Papa vero Anastasium in Concilio anathemate percussit.

Sententia in Anastasium lata ita se habebat: *Omnibus Christi Fidelibus nota sunt, quæ Anastasius sedentibus Pontificibus Antecessoribus nostris gessit. Nemo ignorat, quid de eo Leo & Benedictus decreverint, quorum alter ipsum deposuit,*

(\*) Hic ad elucubrandam Quæstionem de Jurisdictione Ecclesiæ observandum, quod Eleutherius non a Summo Pontifice, sed ab Imperatore morti addictus fuerit.

suit, excommunicavit, & anathematiza- Sæculum IX.  
 vit, alter vestibus Sacerdotalibus priva- A. C. 868.  
 tum ad Communionem laicam recepit.

Exinde eum Nicolaus Papa restituit, si modo promitteret, se Ecclesie Romanae fidem servaturum; at ille, Palatio nostro Patriarchali expilato, Acta Conciliorum, in quibus damnatus fuerat, surripuit, supra muros Urbis hujus viros clam emisit, qui inter Principes & Ecclesiam discordiam seminarent, & ipso potissimum auctore quidam ADALGRIM nomine in Ecclesiam frustra confugiens oculis & lingua privatus fuit. Tandem, quod mecum complures ex vobis, referente quodam Presbytero, nomine Adone, ipsius propinquo, beneficiorum a nobis acceptorum immemor, missò ad Eleutherium homine, ad nefandas cædes, quas perpetratas esse scitis, vacillantem incitavit. Hinc eundem Anastasium, secundum judicium Pontificum Leonis & Benedicti, omni Communione Ecclesiastica privari decernimus, donec omnia sibi objecta in Concilio diluerit. Quicumque cum ipso vel solo alloquio communicaverit, in eandem excommunicationem incurrat. Si ipse Roma vel ad unius lapidis jactum excedat, aut quodcunque Ecclesiasticum ministerium peragere audeat, tam ipse quam conscii anathemate perpetuo sint obligati. Hæc sententia Anastasio in Ecclesia S. Praxedis

Sæculum IX. xedis duodecima Octobris, Indictione  
A. C. 868. secunda, anno octingentesimo sexagesimo octavo publice denunciata est. (\*)

## §. XXI.

*S. Cyrillus & S. Methodius Romæ.*

*Sup. lib. L.* **D**uo illi Sclavorum Apostoli Constantinus Philosophus & Methodius eius  
*§. 55.*

*Boll. 9.* Frater, a Nicolao Papa vocati, ipso jam  
*Mart. to. 7.* defuncto Romam pervenerunt, quos eo  
*p. 21.* majore lætitia Hadrianus Papa excepit,  
 quod S. Clementis Corpus afferrent; un-  
 do adventantibus cum Clericis & popu-  
 lo extra urbem obviam processit. Am-  
 bos consecravit Episcopos, eorumque  
 Discipulos, quos adduxerant, Presbyte-  
 ros aut Diaconos ordinavit. Haud mul-  
 to post Constantinus, abdicato Episcopatu, vitam Monasticam amplexus nomen Cyrilli accepit, quod ei frequentius tribuitur. Obiit Romæ; sed frater eius Methodius in Moraviam reversus est, labores Apostolicos profecuturus, relicto Romæ

*ibid. p. 2.* *n. 8.*

(\*) Caveus in Anastasio hæc habet: *Restat igitur ut paucis disquiramus, utrum Cardinalis & Bibliothecarius unus idemque fuerit Anastasius. Eundem censent Vossius, Lambecius, Sagittarius, alii. Diversum faciunt Labbeus, Ciampinus &c. Tunc eorum conjecturas affert; sed graviora videntur, quæ unum eundemque fuisse suadent.*

Romæ Cyrilli corpore, quod in Ecclesia Sæculum IX.  
S. Clementis depositum; nam illud se- A. C. 868.  
cum auferendi potestatem impetrare  
non potuit.

S. Clementis corpus exinde ad Ca- Chr. Casaur.  
sam auream, Monasterium a Ludovico to. 5. Spici.  
Imperatore in Insula fluvii Pescariæ in p. 381.  
Apulia fundatum delatum est. Hanc  
congregationem Imperator a se erectam  
anno circiter octingentesimo sexagesimo  
sexto, cum arma contra Saracenos mo-  
veret, reliquo Regni sui tempore, com-  
pluribus fundis adjectis locupletavit.

## §. XXII.

*Initia Causæ Hincmari Laudunensis.*

Sub idem ferme tempus Hadriano Papæ  
Libellus Hincmari Episcopi Laudu-  
nensis contra Regem Carolum, Domi-  
num suum, & Hincmarum Archiepisco-  
pum Remensem, Metropolitam suum,  
& Avunculum, redditur. Cum Hinc-  
marum Laudunensem multa ab eo vi & Ep. Hincm.  
injuste acta Clericis populoque suæ Dice- Rem. to. 8.  
cesis invisum reddidissent, illi ad Regem Conc. p. 166. o  
in ea regione per æstatem anni 868. com-  
morantem querelas detulerant. Præ-  
ter alia accusabatur, quod quibusdam Ann. Bert.  
Vasallorum suorum Beneficia (id est Feu- 868.  
da) eripuisset. Jussit Rex, ut misso  
mandatario coram Optimatibus causam  
diceret. Sed ille nec per se, nec per  
Hist. Eccles. Tom. XII. X man-



Sæculum IX. mandatarium in loco constituto adfuit,  
 A. C. 868. nec quemquam constituit, qui suo nomine de more patrio absentiam edito juramento excusaret. Solummodo missi, qui Regi dicerent, se Judicium sæcularium salva jurisdictione Ecclesiastica non posse subire. Ergo Rex Episcopum omnibus bonis, quibus in Regno suo fruebatur, privat; sed mense Augusto sequente cum Archiepiscopus Remensis Nepotem suum eundem Episcopum Laudunensem ad Comitata Pistensia adduxisset, & cum ceteris Episcopis Regi exposuisset, quantum ista Bonorum occupatio Auctoritatem Episcopalem læderet, obtinuit, ut Episcopus in possessionem restitueretur, causa autem in illa provincia a delectis Judicibus & deinde, si opus esset, in Concilio definiretur.

Judices delecti pronunciarunt; Laudunensi possessionem Bonorum suorum adimi non debere, exceptis fundis Puliacensibus, quos Rex consentiente Episcopo cuidam Optimati, nomine Normanno, in Feudum dedisset. Displicuit vero Laudunensi Hincmari avunculi & Concilii, cui præfuerat, Sententia; quare Clericum, Celsanum nomine, inscius Rege & Archiepiscopo ad Papam dimisit cum epistola, in qua contra utrumque & Normannum querebatur, & adjiciebat, voto se obstrinxisse, quo Romam ad vi-

fenda

*Ep. Hincm.*  
 1766. *cum*  
*not. Coll.*

*Opuscul.*  
*Hincm. to.*  
 8. *Conc. p.*  
 1735. *Et c.*  
*Conc. Duz.*  
*par. 2. c. 4.*

senda limina Apostolorum proficisci te-  
neretur. Rescripsit Papa Hadrianus da-  
tis duabus epistolis similibus, una ad Ar-  
chiepiscopum Remensem, altera ad Re-  
gem Carolum directis. Jubebat Ponti-  
fex, ut Episcopi Laudunensis itineri fa-  
verent, atque ipso absente Ecclesiam ejus  
curarent, addita comminatione excom-  
municationis contra Normannum, nisi  
protinus agros Ecclesiæ Laudunensis oc-  
cupatos restitueret, & contra omnes, qui  
absente Episcopo quamcunque partem  
Bonorum illius Ecclesiæ invaderent.  
Hac epistola mense Decembri anno 868.  
Regi Carolo Cadurci ad Æsiam commo-  
ranti reddita, impatientissime tulit, quod  
Episcopus Laudunensis se in scio Romam  
misisset, seque apud Pontificem, quasi  
Bona Ecclesiæ raperet, calumniaretur.

Multo magis Regem jam ante com-  
motum concitavit Episcopi se insalutato  
discessus, quippe Laudunum se recepit,  
postquam a Rege sæpius ad Colloquium  
nequicquam vocatus fuisset. Hinc, in-  
eunte anno 869. cum comperisset Rex,  
eum pacta iniisse cum Rege Lothario,  
quibus in ipsius Regno Sedem figere  
Laudunensi liceret, Vasallis Episcopatus  
Laudunensis imperavit, ut Compen-  
dium, ubi tunc versabatur, ad se veni-  
rent. Obtemperarunt aliqui, alii, ne  
parerent, ab Episcopo prohibiti. Misit

Sæculum IX.

A. C. 869.

*Hadr. Pap.*  
*ep. 16. 17.**Ann. Bert.*  
868.*ibid. ann.*  
869.*Hincmar.*  
*Sched. c. 4.*

X 2

Rex

Sæculum IX. Misit Rex duos illius Provinciæ Episcopos, Odonem Bellovacensem, & Gilbertum Catalaunensem, qui districtè suo nomine præciperent, ut tandem veniret. Simul Comites copiasque misit, qui vasallos refractarios vel invitos adducerent.

*Ann. Bert.*

**Hincmarus**  
Laudunensis.

Ubi Episcopus Laudunensis viros militares adventuros scivit, priusquam adessent, Clericos suos in Ecclesiam Cathedralē Sanctæ Virginis convocavit; postea autem, Presbyteris in manibus suis lignum Crucis & Evangelia tenentibus, Excommunicationem & Anathema contra omnes pronunciavit, qui vi adhibita in hunc sanctum locum & in suam Diocesim irrumperent, & contra omnes complices; unde nec ipse Rex excipiebatur. Duo advenientes Episcopi efficere non potuerunt, ut mentem mutaret; cumque militum Duces intrarent, cum suis Clericis ante Altare substitit. Episcopi vero præsentēs cohibere Comites, ne vi militari Hincmarum ex Ecclesia abstraherent. Satis ergo facturos se crediderunt, si a Vasallis Episcopi novum fidelitatis Sacramentum Regi præstari exigerent, & ad eum redierunt. Ipsis vero vix dum egressis, Episcopus aliud rursus a Vasallis juramentum petiit.

Rex magna indignatione commotus Concilium omnium Episcoporum Regni

fui indicit, vigesima quarta Aprilis eodem anno octingentesimo sexagesimo nono, Indictione secunda Vermeriæ celebrandum, & Episcopum Laudunensem adesse jubet. Convenere Episcopi viginti novem, adnumeratis octo Metropolitans, Rege ipso præsentente. Synodo præerat Archiepiscopus Remensis, quæ nempe in sua Diocesi habebatur, advenitque Episcopus Laudunensis. Ibi accusatus, prementibus Adversariis, ad Papam appellat, petitque Romam eundi licentiam, quæ ei denegata est; suspensum tamen fuit iudicium, & ultra nihil actum. Præterlapso non longo tempore Episcopus Laudunensis, Clericos suos refractarios expertus, omnes excommunicat, Missam celebrari in tota sua Diocesi prohibet, item, infantes quocunque periculo mortis instante baptizari, cuiquam pœnitentiam, Viaticum, aut mortuis sepulturam concedi interdicit. Rex, ut furentem contineret, in quodam loco Diocesis suæ, qui Silvacum dicebatur, inclusum in carcere custodiri iussit; post breve tamen tempus libertati eundem reddidit.

Sæculum IX.  
A. C. 869.

to. 8. Conc.  
p. 1527.

Hincm. to. 2.  
p. 604.

Cont. Du-  
ziat. pag.  
1558. 1645.

Hincm. to. 2.  
p. 341.

§. XXIII.

*Lotharius in Italia.*

Inter hæc Lotharius Rex in Italiam venit, prius cum Imperatore fratre suo collaturus consilia, deinde Romam iturus;

Ann. Bert.  
869.

X 3

rus;

Sæculum IX. rus; sperabat enim Imperatorem esse.  
 A. C. 869. Eturum, ut auctoritate Papæ Theutbergam dimittere, & Waldradam ad se revocare posset. Unde Theutbergam se Romam proficiscentem sequi iusserat. Mensis Junius agebatur, cum Lotharius Ravennam perveniens Ludovici fratris, Imperatoris, Saracenos Barium propugnantes obsidentis, Legatos obvios habuit. Hi monuere Lotharium, ut in Regnum suum reverteretur, diutius in Italia morari nollet, & hunc conventum in tempus magis opportunum differret. Lotharius nihilominus institutum iter profecutus Beneventum ad Fratrem se contulit, ubi Ingelbergæ Imperatricis animo summis precibus & plurimis muneribus expugnato, ab Imperatore Ludovico obtinuit, ut illa cum eo ad Monasterium Cassinense veniret, & jubente Imperatore Hadrianus Papa quoque advocaretur. In illo igitur Monasterio & Imperatricis precibus & Lotharii donationibus fatigatus Papa promisit, se coram eo Missæ Solemnia celebraturum, eique daturum Communionem, si ipsi & Waldradæ nullum commercium ne quidem vocis intercessisset, ex illo tempore, quo eam Nicolaus Papa a communionem Fidelium ejecisset. Gunthario etiam Archiepiscopo Coloniensi, qui funesti divortii auctor & incentor habebatur,

tur, promissa fuit Communio, postquam Sæculum IX.  
 prius scriptam manu sua professionem A.C. 869.  
 tradidisset, hujusmodi: *Profiteor coram*  
*Deo & Sanctis ejus vobis Domino meo*  
*Hadriano Summo Pontifici, (\*) & coram*  
*Episcopis tibi subditis, & toto Conventu;*  
*quoniam judicium depositionis in me a*  
*Domno Nicolao canonice datum non re-*  
*prebendo, sed humiliter porto; unde nec*  
*ulterius Sacrum Ministerium contingere*  
*præsumo, nisi per misericordiam mihi sub-*  
*venire volueritis. Nec aliquando contra*  
*Sanctam Romanam Ecclesiam, aut ejus*  
*Pontificem aliquod scandalum movere vo-*  
*lo, sed eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ obe-*  
*dientem me permanere protestor.* Hic  
 Libellus prima Julii anno 869. in Eccle-  
 sia S. Salvatoris Montis Cassini datus  
 erat. Papa accepta hac professione  
 Gunthario Communionem Laicam con-  
 cessit.

Engelberga denique ad Imperatorem  
 conjugem suum redeunte, Hadrianus  
 Papa Romam reversus est, quem e vesti-  
 gio secutus Lotharius ad S. Petrum ex-  
 tra Civitatem substitit. Nemo Clerico-  
 rum ipsi obviam progressus; sed ipse  
 cum suis usque ad Sepulchrum S. Petri  
 ad orandum processit, moxque ad ædes

X 4 sibi

(\*) In Annalista Bertinensi, referente Pagio,  
 additum est hic; *& Papæ universali.*

Sæculum IX. sibi ad diversandum destinatas digressus  
A. C. 869. eas ne quidem scopis mundatas habuit.  
 Sabbatum erat, & credebat die sequenti  
 Dominica Missam se præsentem celebran-  
 dam esse. Sed id a Papa obtinere non  
 potuit. Romam deinde intravit, ubi  
 Papa honorifice exceptus, & interro-  
 gatus, an monita Nicolai Papæ fideliter fu-  
 isset secutus, respondit, se ea velut man-  
 data de Cælo accepta servasse. Tum  
 proceribus, qui Regem circumstabant,  
 confirmantibus, quod verum diceret,  
 reposuit Papa: *Si testimonium vestrum*

*Ann. Met.* *verum est, maximas agamus Deo gratias.*  
 869. *Restat igitur, Chare Fili, ut ad Sepul-*  
*chrum S. Petri venias, ubi adjuvante Deo*  
*Hostiam salutarem immolabimus pro Sa-*  
*lute corporis & animæ tuæ; sed & tu no-*  
*biscum particeps ejusdem Sacrificii fieri*  
*debes, ut membris Jesu Christi, a quibus*  
*eras separatus, iterum conjungaris.*

Sub finem Missæ Papa Regem Lotha-  
 rium invitavit; ad Sacram mensam acce-  
 deret, & in manibus accipiens Corpus  
 & Sanguinem Jesu Christi, dicit: *Si con-*  
*sciens tibi non es adulterii, quod Nicolaus*  
*Papa tibi interdixit, & si sincere animo*  
*constituisti, nunquam quoad vives Wal-*  
*drada concubinæ tuæ conjungi, confiden-*  
*ter accede, & accipe Sacramentum Sa-*  
*lutis æternæ, quod tibi conferat remissionem*  
*peccatorum tuorum. Si vero detin-*  
*ceps*

*ceps adulterium fugere non vis, cave, il-* Sæculum IX.  
*lud ausu temerario accipias, ne quod Deus* A. C. 869.  
*Fidelibus suis præparavit remedium, in*  
*tuam damnationem vertat.* Rex nihil  
 hæsitavit de manu Pontificis Commu-  
 nionem accipere. Tum Papa ad proce-  
 res Regem sequentes, cum singulis Com-  
 munionem offerret, dicit: *Si in malum,*  
*quod fecit Lotharius Rex tuus, non con-*  
*sensisti, & cum Waldrada, aliisque a Sa-*  
*cra Sede excommunicatis non communica-*  
*sti, Corpus & Sanguis Domini Nostri JE-*  
*su Christi custodiat te in vitam æternam.*  
 Pauci aliqui recesserunt; sed plerique  
 communicarunt.

## §. XXIV.

*Lotharius moritur.*

**R**ex Lotharius in Communionem Ec-  
 clesiæ receptus, venit in Palatium *Ann. Bert.*  
 Lateranense, & cum Pontifice prandio  
 assedit, cui vasa aurea & argentea maxi-  
 mi pretii donavit. Ceterum petiit, ut  
 sibi Papa lænam, palmam, & ferulam  
 daret, quas res ab eo obtinuit. Rex ve-  
 ro cum suis hæc munera ita interpreta-  
 batur: videlicet per lænam significari  
 Waldradam, quæ sibi restitueretur, per  
 palmam, victorem se futurum, & per fe-  
 rulam indicari auctoritatem, qua Episco-  
 pos sibi obstantes subjecturus esset.  
 Ferula est planta ex Africa, cujus stipes  
 X 5 tenuis



Sæculum IX. tenuis quidem sed firmus senibus ad sciendum corpus & præceptoribus ad castigandos tyrones commodum habebatur instrumentum. Illam etiam tunc

*Cang. Gloss.*

temporis Episcopi tanquam Insigne potestatis suæ in manu gestabant, cujus loco hodie Lituo utuntur. Sed longo ac Regi Lothario Hadriano Papæ animi sensus fuit. Quippe causam huius matrimonii judicare constituebat in Concilio, quod anno sequente, prima Martii, Romæ celebrandum indixerat; jam tunc autem Formosum cum alio Episcopo in Galliam misit, ubi cum ceteris illius Regionis Episcopis, quæ Lothario petebat, examini subjicerent, & ad Concilium deferrent. Ex Ludovici Germanici Regno quoque Episcopis quatuor præcepit, ut ad illud Concilium Romanum venirent, & præterea volebat hoc negotium in eodem Concilio ab aliis Episcopis ex Occidente aliisque ex Oriente, quos cum Legatis suis Constantinopoli redeuntibus venturos sperabat, mature pensari.

Interim Lotharius Roma lætus excedit, ratus nihil subesse, unde angeretur, & usque Lucam civitatem venit, ubi febre corripitur. Tum, derepente clade in suos grassante, eos coacervatim mori conspicit; sed iudicium Dei intelligere nolens, Sabbato sexta Augusti Placentiam intrat, & altera die subsistit. Tunc vero,

vero, hora circiter nona inopinate inanimis p̄ne efficitur & obmutescit. Die Lunæ sequente octava Augusti hora diei secunda moritur, & a paucis suorum, qui ab illa pernicio supererant, in parvo monasterio secus civitatem terræ mandatur, postquam annos prope quatuordecim ab obitu Patris sui regnasset.

Ludovicus Imperator haud ignarus, Carolum Regem patrum suum, nihil intentatum relicturum, quo sibi Regnum Lotharii subjiceret, rogavit, ut Papa datis compluribus litteris rem sibi maxime noxiam amoveret. Prima epistola scripta est ad Proceres regni Lotharii, in qua hortatur, ut Imperatori tanquam legitimo fratris sui hæredi fideles permanerent, nec vel promissis vel comminationibus cujuscunque ab ejus obedientia recederent, sub pœna excommunicationis & anathematis. In secunda Pontificis epistola, ad Proceres Regni Caroli data, eadem repetitur comminatio, laudantur beneficia, quæ Ludovicus Imperator præstabat Ecclesiæ, Saracenos oppugnans, memores esse jubentur, quam sancte Reges fratres jurassent, conservaturos se Regni partes, quas ipsi & nepotes sui per divisionem sortiti essent. Tum subjungit Papa: *Si quis postulationi æquissimæ Imperatoris obstiterit, sciat, hunc Principem sub Sedis Apostolicæ præsidio*

Sæculum IX.  
A. C. 869.

Lotharii  
mors subita.

Had. ep. 19.

ep. 20.

Sæculum IX. *dio existere, atque ad ejus defensionem*  
A. C. 869. *ma, quæ Deus nostris manibus commissæ*  
*in promptu esse. Ita Pontifex Regnorum*  
*dispensatorem se constituebat. (\*)*

Hanc epistolam quinta Sept. anno  
 869. datam Episcopi duo Paulus & Leo  
 ad hoc solum negotium delegati, detu-  
 lerunt. Iisdem duæ aliæ epistolæ e-  
 dem die datæ commissæ, altera ad Ep-  
 scopos in regno Caroli, altera peculiari-  
 ter ad Hincmarum Remensem directæ.  
 Hortatur Papa, ut Carolum ab iniquo  
 molimine abstraherent, Hincmaro pote-  
 statem tribuit, qua tanquam Delegatus  
 a Sancta Sede ageret, & repetit anathematis  
 comminationem. Sed, priusquam  
 Legati in Franciam pervenire potuerint,  
 consummatum fuit negotium.

## §. XXV.

*Carolus Rex Lotharingiæ coro-*  
*natur.*

Quippe Rex Carolus percepta Lothari-  
 morte, nihil prius habuit, quam in  
 defun-

(\*) Non satis æquus Hadriano Pontifici hic  
 est Fleurius; cum ille non suo arbitrio Regnum  
 dispensare, sed, rogatus ab Imperatore, Princi-  
 pes ad ea, quæ jurato promiserant, servanda ex-  
 hortari & Ludovico, adversus Saracenos, infen-  
 sissimos Christianorum hostes, pugnanti favere  
 voluerit.

defuncti regnum movere, atque com-  
 pluribus Optimatibus, Episcopisque ultro  
 se submittentibus, cum quinta Sept. anno  
 octingentesimo sexagesimo nono Metas  
 pervenisset, Feria sexta ejusdem mensis  
 die nona solemnī pompa coronatus est,  
 in hunc modum:

Episcopis, numero septem, in Eccle-  
 sia Cathedrali S. Stephani, videlicet Hinc-  
 maro Archiepiscopo Remensi, Adventio  
 Episcopo Metensi, Hattone Virdunensi,  
 Arnulpho Tullensi, Francone Tungrensi,  
 Hincmaro Laudunensi, jam tunc e car-  
 cere emisso, & Odone Bellovacensi con-  
 gregatis, Rege, Optimatibus, & frequen-  
 ti populo præsentibus, Adventius Episco-  
 pus profatus dixit: *Neminem vestrum  
 ignorare arbitror, quantas ærumnas per-  
 pessi fuerimus sub Rege Domino nostro de-  
 functo, & quam acerbus dolor, cum mise-  
 ræ mortis modum percepimus, pectora no-  
 stra obruerit. Ad jejunia igitur & pre-  
 ces confugimus, auxilium ab eo solo flagi-  
 tantes, qui solus consolatur afflictos, boni  
 consilii auctor, & mortalibus Regna di-  
 spensat. Oravimus, ut nobis daret Re-  
 gem secundum cor suum, omniumque men-  
 tes ad concordiam componeret, qua illum,  
 quem ipse elegisset, unanimi consensu re-  
 ciperemus. Dei vero voluntatem cogno-  
 scimus ex concordia, qua sponte nos sub-  
 mittimus Regi Carolo præsentī, hujus  
 Regni*

Sæculum IX.  
 A. C. 869.

Ann. Bert.  
 869.

tom. 2. Cap.  
 p. 215.  
 to. 8. Conc.  
 n. 1532.

cap. Hincm.  
 to. I. p. 741.

Sæculum IX. Regni Hæredi legitimo. Unde gratia  
 A. C. 869. Deo, hunc Principem nobis concedenti,  
 camus, & oremus, ut eundem nobis  
 defensionem Ecclesiæ & pacem nostram  
 diutissime conservet. Sed imprimis eam  
 Regis ore audiamus, quæ Principem Chris-  
 tianissimum & populum fidelem docent.

Caroli Calvi  
 Oratio.

Tunc autem Rex Carolus, Hæc ser-  
 mo, inquit, omnium Episcoporum nomi-  
 ne prolatus, & plausus vestri jucundissi-  
 mi satis demonstrant, me ex Dei electio-  
 ne & pro vestra salute huc advenisse.  
 Scitote igitur, me Dei honorem, ejusque  
 & Ecclesiarum Servitium conservare, nu-  
 numquemque ex vobis honorare, pro gra-  
 du dignitatis suæ defendere, jus suum se-  
 cundum Leges Ecclesiasticas & Civiles de-  
 re velle, ea conditione, ut quilibet mihi  
 honorem, obedientiam, auxilium eo modo  
 quo majores vestri Antecessoribus me  
 exhibeat.

Postea rogatus a quatuor Episcopis  
 Provinciæ Trevirensis Archiepiscopus  
 Hincmarus dixit: Si quem forte admira-  
 tio subeat, cur ego & Episcopi Provin-  
 ciæ nostræ negotiis alterius provinciæ im-  
 misceamur, sciat, quod in Gallia Belgi-  
 ca Ecclesiæ Remensis & Trevirensis pro-  
 soribus unius provinciæ habeantur, &  
 conjunctim sua celebrent Concilia, qui-  
 bus ille ex duobus Archiepiscopis præse-  
 solet, qui Ordinatione prior est. Præ-  
 terea,

tereā, cum illius provinciæ Fratres nostri bodie Metropolitanum non habeant, rogantur me ex charitate fraterna, ut tam ipsorum quam meo nomine agerem. An non ita res se habet, Fratres mei? Episcopi Provinciæ Trevirensis, hæc omnino ita esse, responderunt. Nimirum, deposito & fatis functo Theutgardo Archiepiscopo Sedes Trevirensis tunc vacabat.

Archiepiscopus Hincmarus sermonem prosecutus, præter divinæ voluntatis indicia, inquit, quæ vobis Adventius Episcopus exposuit, meminisse vos oportet, Regis nostri Parentem Ludovicum Imperatorem sanctæ memoriæ per Sanctum Arnulphum genus duxisse ex familia Clodovei, qui a S. Remigio cum tota Francorum Gente conversus, in Metropoli Remensi baptizatus, & oleo de Cælo misso bodieque apud nos extante consecratus fuit. Idem Ludovicus Stephano Papæ manibus Remis Imperator coronatus, postea a factiosis hominibus imperio dejectus, in hac Ecclesia Metensi restitutus & ante hoc Altare S. Stephano sacrum ab Episcopis secundo corona redimitus est, nobis ipsis, qui adsumus, præsentibus. Cum ergo in Historiis sacris legamus, quocunque regno acquisito Reges iterum coronari solitos, his Episcopis videtur, si & vos consentiatis,

Sæculum IX.  
A. C. 869.

Ampullæ de  
Cælo.

Sup. Lib.  
XLVI.

S. 21.  
ibid. S. 48.

Sæculum IX.  
A. C. 869.  
*tiatis, Principem præsentem ad hoc Alto-  
re, esse coronandum, accepto Regno, in  
quo ei liberrime obedientiam promittitis.  
Edicite, an hæc omnibus stet sententia.*  
Omnibus hilari clamore consensum pro-  
fitentibus, Archiepiscopus, *Gratias ero-  
go, inquit, agamus, & cantemus Te  
Deum Laudamus!* Non memini, ante  
Hincmarum quemquam hæc duo facta  
literis mandasse, S. Arnulphum cognatione  
sanguinis Clodoveum contigisse,  
& ad illum Regem unguendum oleum e  
cælo fuisse allatum.

*ap. Hincm.*  
*p. 744.*

His dictis, sex Episcopi singularem  
orationem super Regem ante Altare  
S. Stephani pronunciarunt, quibus Hinc-  
marus Archiepiscopus addidit Benedic-  
tionem solemnem, simulque Regis fron-  
tem sacro Chrismate, semi circulum ab  
aure dextra usque ad sinistram ducens,  
tum etiam verticem inunxit. Mox e-  
dem Archiepiscopo aliam Benedictionem  
recitante ceteri Episcopi Regi coronam  
imponunt, palmamque & sceptrum tra-  
dunt. Hæc omnia peracta ante Missam,  
in qua deinde commemoratio facta  
S. Gorgonii Martyris, hodieque ab Ec-  
clesia Romana, nempe nona Septembris,  
culti, & tandem orationes pro Rege re-  
citatae, quales etiamnum nostra ætate  
leguntur.

*Miss. Ro.*

## §. XXVI.

Sæculum IX.

A. C. 869.

*Legati Pontificii Constantinopoli.*

Dum hæc in Francia geruntur, Hadriani Papæ Legati tres, Donatus Episcopus Ostiensis, Stephanus Episcopus Nepe-  
 copus Ostiensis, Stephanus Episcopus Nepe-  
 pelinus, & Marinus ex septem Romanæ  
 Ecclesiæ Diaconis unus, postea Papa, in  
 Græciam perveniunt, afferentes duas E-  
 pistolas, alteram ad Imperatorem Basi-  
 lium, alteram ad Ignatium Patriarcham  
 datas, quibus ad Epistolas Nicolao Papæ  
 scriptas respondebatur. In Epistola ad  
 Imperatorem Hadrianus Papa dicit;  
 eum sibi & toti Ecclesiæ Occidentali  
 rem admodum gratam fecisse, quod pul-  
 so Photio Ignatium restituisset. *Schis-  
 matici vero, inquit, quoniam diversis  
 modis peccarunt, etiam diversim judican-  
 di sunt, cujus rei cognitionem Legatis  
 nostris & Fratri nostro Ignatio com-  
 mendamus. Ne dubites, omnes clementer  
 habebimus, excepto Photio, cujus Ordi-  
 natio damnari omnino debet. Volumus,  
 ut Concilium frequentissimum celebrari  
 cures, cui nostri Legati præsent, ubi er-  
 rorum & personarum diversitas exami-  
 netur. In eodem Concilio Exemplaria  
 Conciliabuli adversus Sacram Sedem ha-  
 biti igni tradantur, & nemini bujusmo-  
 di Acta sub pœna depositionis & anathe-  
 matis reservare liceat. Id quoque a vo-*

*Hist. Eccles. Tom. XII.*

X

bis

tom 8. Conc.  
 vit. Hadr.  
 Pa. p. 889.  
 vit. Ign. p.  
 1230.

p. 980.



Sæculum IX. *bis* petimus, ut Decretis Concilii Romani, adversus Decreta Photii celebrati, in

A. C. 869.

Concilio apud vos celebrando omnes subscribant, eaque in omnium Ecclesiarum Tabulis conserventur. Rogamus te, ut ad nos remittas Basilium, Petrum, Zosimum, & alterum Basilium, qui noxi & male conscientiae stimulis insani, desertis suis monasteriis, sine literis commendatitiis Constantinopolim profecti sunt. Hos in domos illas, in quibus emigrati & Presbyteri ordinati fuerunt redire volumus; qui vero refractarios apud se detinuerunt, penis canonicis coercentur. Hi nempe illi erant Monachi, qui querelas adversus Nicolaum Papam ad Photium detulerant, quod ex ejus Epistola ad Orientales data, in qua Basilium aliquis & Zosimus nominantur, dispicimus.

Sup. Lib.  
L. 6. 57.

Hadriani Epistola ad Ignatium.  
p. 1012.

In Epistola ad Ignatium Patriarcham data Hadrianus Papa dicit; se mentem & Decreta Nicolai Antecessoris sui, præsertim contra Gregorium Syracusanum, & Photium edita, in omnibus sequi. Quod vero spectat ad Episcopos, inquit, & Clericos, a Methodio & a te ordinatos, si Photio obstiterunt, & tecum persecutionem passi sunt, eos in numero Confessorum Jesu Christi habeo, & censeo, illis in Ecclesia tua locum honorificum, & solatium, quo digni sunt, esse

concedendum. *Iis vero, qui Photio ad-* Sæculum IX.  
A.C. 869.  
*bæserunt, si ad te redeant, & satisfa-*  
*ciant eo modo, cujus formulam Legatis*  
*nostris tradidimus, parcendum esse, ipsis-*  
*que Gradum suum conservandum, credi-*  
*dimus.*

Hæc Epistola decima Junii, Indictio-  
 ne secunda, nimirum anno octingente-  
 simo sexagesimo septimo data.

Legatos Theſſalonicam pervenientes *vit. Hadr.*  
 Eustachius Spatharius, ab Imperatore  
 Basilio ipsis obviam missus, salutavit, &  
 usque Selibriam, † quinquaginta milli- † *Selivree*  
 bus, id est Leucis sexdecim, a civitate  
 Constantinopolitana distantem deduxit,  
 ubi a Sisinnio Protospathario & Abbate  
 Theognosto, qui, missus ab Ignatio, Ro-  
 mæ versatus fuerat, excipiuntur. Dati  
 sunt iisdem Legatis equi quadraginta  
 ex stabulis Cæsaris delecti, vasa argen-  
 tea sufficientia, quibus cibi mensæ infer-  
 rentur, & famuli, qui ministrarent. Eo  
 cultu ad arcem rotundam seu *Strongy-*  
*lum* in Suburbio Constantinopolis per-  
 veniunt, iisque in Ecclesia magnificen-  
 tissime extructa S. Joanni Evangelistæ sa-  
 cra diversorium destinatur. Dies erat  
 Sabbati vigesima quarta Septembris; se-  
 quente vero die Dominica Constantino-  
 polim intrant hac pompa: Legatis e-  
 quos ab Imperatore missos famuli ad-  
 movent, aureis ephippiis stratos, omni-  
 bus

Sæculum IX. bus scholis, seu præfectorum ex Palatio  
 A. C. 869. Cæsareo cohortibus omnibusque Cleri-  
 cis Cafulas gerentibus usque ad portam  
 Urbis obviam progressis. Inde proce-  
 dere cœperunt, præcedentibus Paulo  
 Libris præfecto, Josepho Sacrorum Ve-  
 forum, Basilio Sacellario, seu Theauri  
 Custode cum omnibus Patriarchæ Syn-  
 cellis, quos vestes Ecclesiasticæ ornabant.  
 Legatos sequebatur cunctus populus cum  
 cereis & facibus. Ubi ad Palatium Ire-  
 nis perventum, ex equis descendentes  
 a Joanne Notario & Strategio Spathario  
 excipiuntur, nomine Imperatoris excu-  
 santibus, quod eos die sequente, quæ  
 Basilii Natalis erat, necdum in conspe-  
 ctum esset vocaturus.

Illà die elapsa, Imperator omnibus  
 Palatii sui Collegiis obviam missis, Le-  
 gatos in Triclinio aureo ad alloquium  
 admisit. Iphis intransibus, surrexit, &  
 sua manu receptas Pontificis Epistolas  
 osculatus, quæsit, an salva esset Roma-  
 na Ecclesia, & an Hadrianus Papa, Cle-  
 rici, Senatusque valerent. Tum, oscu-  
 lo Legatis dato, eos dimittit, Epistolam  
 Hadriani Pontificis Ignatio Patriarchæ  
 reddituros. Cum altera die ad Impe-  
 ratorem rediissent, dixit: *Ecclesia Con-  
 stantinopolitana Photii ambitione turba-  
 ta jam ante Nicolai Papæ cura a Ro-  
 mana Sede non nullum accepit auxilium.*

Nun

*Nunc vero ab annis duobus cum Patriar-* Sæculum IX.  
*cbis Orientis, Metropolitæ, & Episcopis* A. C. 869.  
*Ecclesiæ Romanæ Matris (\*) nostræ ju-*

Y 3 dicium

(\*) Mirum profecto Cavei Scriptoris ingenium, vel potius cæcitas; approbantis gesta Photii, hominis versipellis, superbiæ vertigine rotati, impostoris, dum econtra clarissima contra se testimonia diffimulat, & omnia a Catholicis acta fugillat! quippe Synodum nostram VIII. Oecumenicam Ignatii Conciliabulum appellare non erubescit. Unde tantus in Photium favor? nempe Sedi Romanæ supra Ecclesiam Orientalem aliquam esse prærogativam præfracte negavit. Hæc meritorum summa est. Attamen turpissime fallitur Caveus; nam ex Epistolis ipsius Photii Lector a præjudiciis liber clarissime dispicit, Photium prærogativam Sedis Romanæ supra Constantinopolitanam non prius negasse, quam ubi Romanum Pontificem sibi Ecclesiam alienam invadenti unquam velificaturum desperavit. Photii vestigia suo tempore Lutherus strenue pressit.

Ceterum cum Basilius Imperator Ecclesiam Romanam hic Matrem suam appellat, illustre Testimonium præstat Veritati; est etenim Roma Sedes omnium Ecclesiarum, JESU Christi institutione, antiquitate, auctoritate, prædicatione, & pia sollicitudine Mater. Quam tamen spernunt & abjiciunt Christiani, quicunque ab ejus Communionem separati sunt, licet negare non possint, Majores suos ab hac Matre Fidem JESU

Sæculum IX. *diciam expectamus. Unde rogamus vos*  
A. C. 869. *ut ad concordiam & tranquillitatem Ec-*  
*clesiæ nostræ reducendam omnibus viri-*  
*bus incumbatis. Legati Papæ responde-*  
*runt: Id ipsum itineris, quod suscepimus,*  
*causa fuit; sed nullum ex Orientalibus*  
*vestris prius ad nostrum Concilium ad-*  
*mittere possumus, quam nobis satisfac-*  
*erit, libellum offerendo secundum normam,*  
*quam ex S. Sedis Tabulis accepimus. Im-*  
*perator & Patriarcha dixerunt: Quod*  
*de offerendo Libello isto refertis, novum*  
*nobis est. Hinc volumus illam normam*  
*videre. Legati illico protulerunt para-*  
*tam; cumque ex Latino in Græcum ser-*  
*monem fuisset translata, omnibus fuit*  
*exhibita.*

## §. XXVII.

*Concilium Oecumenicum Octavum.*  
*Sessio prima.*

*tom. 8. Conc. p. 978. 1278.* **E**xinde præstituta ad Concilium cele-  
 brandum die Actio seu Sessio prima  
 habita, die Mercurii, quinta Octobris,  
 eodem anno octingentesimo sexagesimo  
 nono, Basilii Imperatoris tertio, filii ejus  
 Con-

su Christi, id est, vitam spiritualem accepisse.  
 Vel ostendant Protestantes, quæ alia Ecclesia, a  
 Romana distincta, Prædicatores Fidei olim in  
 Belgium, in Angliam, in Daniam, in Germaniam  
 &c. miserit.

Constantini secundo, Indictione tertia Sæculum IX.  
 inchoata. Sessionis locus fuit pars dex- A. C. 869.  
 tera porticus superioris in Ecclesia S. So- vid. Cang.  
 phiæ, ubi veram Crucem & Librum Ev- C. P. Lib. III  
 angeliorum exposuerant. Tres Legati n. 38.  
 Papæ Donatus & Stephanus Episcopi, & 5. Octobris.  
 Diaconus Marinus primo sedebant lo-  
 co. Secundo Ignatius Patriarcha Con-  
 stantinopolitanus. Tertio Legati Pa-  
 triarcharum Orientis, videlicet, Thomas  
 Metropolita Tyriensis, Antiocheni Pa-  
 triarchæ vices gerens, Elias Presbyter  
 & Syncellus Theodosii Patriarchæ Jero-  
 solymitani legatus. Nemo Sedis Ale-  
 xandrinæ nomine aderat. Undecim  
 vero viri ex Palatii Præfectis præcipui ju-  
 bente Imperatore intererant.

Omnibus congregatis, Legati & Pa-  
 triarchæ jusserunt, ut ingrederentur o-  
 mnes Episcopi, qui in causa Ignatii per-  
 secutionem passi fuissent. Intran-  
 t numero duodecim, videlicet, quinque Me-  
 tropolitæ, Nicephorus Amaseensis, Jo-  
 annes Silæensis, Nicetas Atheniensis, Me-  
 trophanes Smyrnensis, Michael Rhoden-  
 sis. Septem Episcopi, videlicet, Geor-  
 gius Iliopolitanus, Petrus Troadenus,  
 Nicetas Cephaludiensis in Sicilia, Ana-  
 stasius Magnesium, Nicephorus Croto-  
 nensis, Antonius Alisensis, & Michael  
 Corcyranus. Tum Legati dixerunt:

*Sedeant secundum ordinem suum, quia*  
*digni*

Sæculum IX. *digni sunt, quos vivos ter beatos aestima-*  
A. C. 869. *mus.* Itaque primæ Concilii Sessioni  
 haud plures quam octodecim viri inter-  
 fuerunt.

Episcopis confidentibus Bahanes Pa-  
 tricius stans in medio iussit a Notario  
 prælegi Imperatoris Sermonem ad Patres  
 Concilii directum, quo omnes exhorta-  
 batur, ut concordiam reducerent, & hoc  
 negotium in spiritu charitatis & lenita-  
 tis pertractarent. Tum surgens iterum  
 Bahanes dixit ad Legatos: *Episcopi pe-*  
*tunt unacum Senatu ut certiores nos fa-*  
*ciatis, quas literas & quam potestatem*  
*habeatis.* Legati Pontificii responderunt:  
*Huc usque non legimus, in quocunque*  
*Concilio universali Legatos Romanos hu-*  
*jusmodi examini fuisse subjectos.* Et  
 Bahanes: *Non petimus hoc, ut Throni*  
*Apostolici auctoritati quidquam detraha-*  
*mus; sed quia Antecessores vestri Legati*  
*Romani Rodoaldus & Zacharias, alia in*  
*mandatis habentes & alia facientes dece-*  
*perunt nos.* Legati Pontificii: *Ergo, ut*  
*omnem dubitationem vobis eximamus, &*  
*de nostra sinceritate certi sitis, ecce, E-*  
*pistolas quas ad Imperatorem & Patriar-*  
*cham datas habemus. Si jubeatis legan-*  
*tur.* Primo lecta est Epistola Hadriani  
 Papæ ad Imperatorem Basilium datam,  
 quam lingua latina clara voce Marinus  
 Legatorum alter recitavit, & Damianus  
 Cleri-

*Sup. Lib. I.*  
 §. 12.

Clericus atque Imperatoris interpres Sæculum IX.  
Græce reddidit. A. C. 869.

Hac Epistola percepta Episcopi & Senatores exclamarunt: *Benedictus Deus! Sanctitas tua nobis satisfecit.* Tum Legati Pontificii & totum Concilium petierunt, ut Mandata Legatorum Orientis legerentur. Et Elias Presbyter Legatus Jerosolymitanus dixit: *Quamvis non ignoretis, qui & unde simus, rursus tamen dicemus; sanctissimus Thomas, Metropolitæ Tyriensis primam Sedem Antiochiæ subjectam, ut scitis, tenet, & quia Sedes Patriarchalis nunc vacat, Patriarchæ vices gerit. Hinc literas* Legatorum Mandata legantur.  
*alterius afferre non debuit, quia propria præditus est auctoritate; quia autem Græca lingua ipsi haud ita familiaris est, ego ab eo rogatus hæc dico. Quod ad me spectat, Syncellus sum Ecclesiæ Jerosolymitanæ & a Patriarcha nostro Theodosio jussus veni, habens ejus Epistolas apud me, quas jam recitari audivistis; sed propter illos, qui legi non audierunt, præsertim Legatos senioris Romæ, ecce adsunt, legantur. Illud tamen adjiciam, quod postquam in hac Civitate longo tempore commorati fuissimus, libellum supplicem Imperatori obtulerimus, rogantes, ut nos ad nostros dimitteret, quod nobis etiam concessit, jubens, ut priusquam discederemus, sententiam nostram de quæ-*



Sæculum IX. *stionibus, quæ modo agitantur, & quæ*  
 A. C. 869. *dicturi essemus, si Legati Romani adfuis-*  
 p. 986. 1284. *sent, scriberemus. Sincerissima mentem*  
*scripsimus, cujus rei nobis Deus testis sit.*  
*& jam ea vobis prælegemus. Sed prius*  
*Epistolam Patriarchæ nostri recitari o-*  
*portet.*

Hæc etiam a Stephano Ecclesiæ Con-  
 stantinopolitanæ Diacono lecta.

Directa vero erat ad Ignatium, ad-  
 dito titulo Patriarchæ Universalis, (\*)  
 & postquam Theodosius Ignatio gratu-  
 latus fuisset, quod Throno suo fuerit re-  
 stitutus, subjungebat: *Nosti autem uti-*  
*que, Sanctissime, causam, ob quam neque*  
*scribere, neque mittere potuimus ad vos;*  
*nempe*

(\*) Non eo certe in sensu Patriarcha Jero-  
 solymitanus hunc Titulum Ignatio Constanti-  
 nopolitano tribuit, quod crederet, ei in universa  
 Ecclesia aliquam competere potestatem, cum  
 eundem Titulum Episcopi Synodi VIII. (ut ste-  
 tim §. seq. videbimus) in Libello sibi a Lega-  
 tis Romanis oblato haud repugnantes Hadriano  
 Papæ tribuerint, quem etiam summum Pontifi-  
 cem vocant. Idque eo magis observandum,  
 quod hic Titulus nunquam alteri quam Romæ  
 no Episcopo collatus legatur.

Ipsa verba in Act. Conc. edit. Paris. To. V.  
 sunt: *Ego ille Episcopus . . . huic professio-*  
*nis meæ Libello, facto a me in Beatissimo Ha-*  
*driano SUMMO PONTIFICE, & Univer-*  
*sali Papa subscripsi. &c.*

nempe quod timuimus, ne illis, in quorum potestate sumus, malam fidem de nobis suspicandi ansam præberemus. Etenim eorum benevolentia fruimur, licentiam dant ædificandi Ecclesias nostras, & ritus nostros libere observandi, iuste nobiscum agunt, nullam vim aut injuriam inferunt. Nunc vero mandata accepimus ab EMIR nostro, cui ut obsequeremur, misimus Eliam Syncellum; eique Princeps Saracenorum † Thomam Archiepiscopum Tyriensem, sicut in Epistolis vestris petiistis, adjunxit. Scitis etiam, ideo fuisse missos, ut non nulli Saraceni, qui captivi apud vos detinentur, liberi dimittantur. Unde impetrare satagite, obsecramus vos, ab Imperatore Domino nostro, ut nobis Saracenos, quot Dominationi suæ placuerit, tradat, ne si vacui redierint, qui missi sunt, perniciem nostram effugere non valeamus. Mittimus quoque tibi, Sanctissime, tunicam, pallium & mitram, Sacerdotalia ornamenta S. Jacobi, vas, quod erat inter cimelia Ecclesiæ S. Sepulchri, & craterem argenteum cælatum Ecclesiæ tuæ decori futurum.

Observavi superius, Basilium Imperatorem a Syriæ Præfecto licentiam Legatos Orientis accersendi obtinuisse.

Ceterum hæc Theodosii Epistola Legatis Pontificiis placuit, qua perlecta Bahanes Patricius totius Concilii nomine dixit,

Sæculum IX.  
A. C. 869.

† Emir

Sup. n. 2.

Nicet. in vit.

Ign. p. 1230.

Sæculum IX. dixit, tam Legatos Romanos quam O.  
A. C. 869. rientis mandata sua legitime manife-  
 stasse.

## §. XXVIII.

*Sessionis primæ Continuatio.*

Tunc igitur, cum Legati Pontificii pe-  
 terent, ut Libellus concordix, quem  
 Roma attulerant, recitaretur, eum Da-  
 mianus Interpres latine, & Stephanus  
 Diaconus græce legit. Erat autem sum-  
 matim idem, quem Hormisdas Papa ad  
 reducendam Ecclesiam Constantinopoli-  
 tanam anno 519. miserat, & cui Joannes  
 Patriarcha subscripserat. Item simili-  
 mus illi formulæ, quam Justinianus Im-  
 perator Agapito Papæ anno 535. mise-  
 rat, mutatis Hæresum & Personarum  
 nominibus. Libellus vero noster hujus  
 anni 869. erat hujusmodi: *Prima salus*  
*est rectæ Fidei regulam custodire; dein-*  
*de a Patrum Constitutionibus nullatenus*  
*deflectere. Unum ad Fidem pertinet, al-*  
*terum ad bonos mores. Prætermitti*  
*non potest sententia Jesu Christi dicen-*  
*tis: Tu es Petrus, & super banc petram*  
*ædificabo Ecclesiam meam. Quod effe-*  
*ctus probavit, quia in Sede Apostolica*  
*semper Catholica Religio est immaculata*  
*conservata. Ab hujus ergo Sedis fide*  
*atque Doctrina separari minime cupien-*  
*tes, & Patrum, præcipue Sanctorum Se-*  
 dis

*Sup. Lib.*  
*XXXI.*

*§. 41.*  
*to. 4. Conc. p.*  
*p. 1486.*

*Sup. Lib.*  
*XXXII.*

*§. 5.*  
*to. 4. Conc.*  
*p. 1801.*

*to. 8. Conc.*  
*p. 988.*

*Matth. 16.*

dis Apostolicae Praesulum Constitutiones Saeculum IX.  
 in omnibus sequentes, anathematizamus A.C. 869.  
 omnes Hæreses, simul cum Iconomachis.

Anathematizamus etiam Photium Sanctæ Sedis Constantinopolitanæ Usurpatorem, usque dum se Sacræ Sedis iudicio subjiciat, & Conciliabulum suum anathematizet. Sequimur autem sanctam Synodum & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus celebravit, cui tu ipse Hadriane, Summe Pontifex, subscripsisti. Recipimus etiam Synodum a te ipso celebratam, & quæ in his statuta fuerunt, communicantes cum illis, quibuscum hæ Synodi communicant, & illos rejicientes, qui ab his damnantur, præcipue Photium & Gregorium Syracusanum, item illos, qui eorum schisma sequuntur, & in eorum Communionem perseverant.

Synagogas vero malignantium, id est, duo Formula  
 Conciliabula sub Michaelæ Imperatore ad Concordiæ.  
 versus Ignatium Patriarcham habita, & tertium adversus sacram Sedem, in perpetuum anathematizamus, eosque omnes, qui ea defendunt, aut Acta conservant.

Tota mente amplectimur, quæ sacra Sedes de Patriarcha nostro Ignatio decrevit, ut in Communionem illius Sedis esse mereamur, in qua est integrum & veræ Religionis fundamentum. Illorum nomina, qui ab ea sunt separati, inter sacra Mystera non recitabimus. Hanc autem  
 pro-

Sæculum IX. *professionem ego ille Episcopus manu propria scripsi, & tibi Hadriano Summo Pontifici & Papæ universali per Legatos tuos Donatum, Stephanum & Marinum obtuli, mense illo, die illa, Indictione illa.*

In fine subjungi debebat subscriptio Episcopi & testium.

*Not. Anast.*

Libelli hujus tenorem jam prius Nicolaus Papa Constantinopolim miserat, sed Photius suis machinationibus effecerat, ut tunc quidem non reciperetur. Nunc vero, ubi perlectus est, eum tota Synodus approbavit. Legati Orientis postea petierunt, ut Libellus suus Constantinopoli, prius quam Legati Pontificis advenissent, conscriptus legeretur.

p. 991.

Summatim vero hæc continebat: *Basilii Imperator nos ex Oriente ad componendas turbas in Ecclesia vestra natus cum Legatis Roma venturis, vocavit; cum vero diutissime moras trabant, nosque justus timor angat, ne longior in hac regione commoratio nostra Agarenis occasionem det, nos & omnes Christianos sub eorum Dominatu degentes persequendi, non credimus expedire, ut diutius Romanos Legatos præstolemur, vel maxime ideo, quod ex Epistolis Nicolai & Hadriani Pontificum teneamus certissima eorum argumenta, quæ Romæ acta fuerint. Itaque sententiam nostram de negotiis, quæ hoc tempore mota sunt, vobis aperimus:*

mus; videlicet, omnes homines obsequi  
 & obedire (\*) oportere Decretis Beatis-  
 simi Papæ Nicolai, sicut & nos morem  
 gerimus, quia diu ante, quam has Episto-  
 las legeremus, eadem nobis mens & opinio  
 infederat.

Sæculum IX.  
 A. C. 869.

Proinde, Ignatius Patriarcha Sedem  
 suam in pace possideat. Episcopi, Pres-  
 byteri, Clerici depositi, quod cum Photio  
 commu-

(\*) Guilielmus Cave in Consp. Sæc. Icono-  
 clast. dicit: In quam (Synodum Nicenam) con-  
 venerunt . . . . trium Patriarcharum Orien-  
 talium *τοποτηνται*, miselli utique Monachi, Pa-  
 triarcharum nomina ac personas splendide e-  
 mentiti. Atqui hanc Synodum Oecumenicam  
 VIII. Legati Summi Pontificis, Ignatius Patriar-  
 cha Constantinopolitanus præsens, Archiepisco-  
 pus Tyriensis, Sede Antiochena vacante, Elias  
 Legatus Patriarchæ Jerosolymitani, Basilus Im-  
 perator Græcorum, & tandem etiam Josephus,  
 Michaelis Patriarchæ Alexandrini Melchitæ Le-  
 gatus scientes & volentes atque certis manda-  
 tis instructi approbarunt & confirmarunt. Cur  
 ergo hanc Caveus rejicit? nempe densissimis  
 præjudiciorum nebulis impeditus veritatem vi-  
 dere nequit. Nam quamvis, ut infra occurret,  
 receptus aliquando fuerit Photius; illud tamen  
 mortuo demum Ignatio factum, & cuilibet Le-  
 ctorum, si æquus & peritus rerum æstimator  
 fuerit, prima facie liquebit, quæ deinde in cau-  
 sa Photii secuta sunt, incertum an legitime, &  
 nullatenus satis libere acta fuisse.

Sæculum IX. *communicare noluerint, restituantur. Quo*  
A. C. 869. *a Methodio, vel ab Ignatio ordinati, cum*  
*Photio communicarunt, & Photio pul-*  
*so confestim ad Ecclesiam Catholicam re-*  
*dierunt, aut priusquam Concilium solou-*  
*tur, redituri sunt, hos Ecclesia, amant-*  
*tissima mater, recipiet, & Ignatius pe-*  
*nitentiæ mensuram præscribet. Quippe*  
*Nicolaus Papa ei potestatem lapsos reci-*  
*piendi reliquit, solum Photium & Gre-*  
*gorium Syracusanum absolute damnans.*  
*Utrumque & nos damnamus, & cunctos*  
*a Photio ordinatos, omni ministerio Ec-*  
*clesiastico indignos judicamus. Denique*  
*anathema dicimus quibuscunque, qui Ni-*  
*colai Papæ judicio, quod & nostrum est,*  
*se non submiserint. His perlectis, & Le-*  
*gatis Papæ ex Legatis Orientis sciscitan-*  
*tibus, an ipsi hunc libellum tradidissent,*  
*& an mentem eorum contineret, illi af-*  
*firmarunt, rem ita se habere, tota Syno-*  
*do approbante.*

p. 995.

Græcorum  
Scrupulus.

Exinde Bahanes Patricius, nomine  
 totius Senatus ad Legatos Papæ conver-  
 sus, rogamus vos, inquit, ut dubitationem  
 nostram sanetis. Quomodo damnare po-  
 tuistis Photium, quem nunquam vidistis?  
 Legati responderunt: Nicolaus Papa  
 Photium per Epistolas suas & Legatos  
 præsentem damnavit. Tum Senatus,  
 quem vero miserat? Legati: Si jubetis,  
 totam hujus rei seriem pandemus. Et ad-  
 dide-

diderunt: *Primo missus est Avsaber ab Imperatore Michaelē, & cum eo quatuor Episcopi, quorum nomina nescimus. Ille ad Papam attulit Epistolam, in qua de Iconoclastis, & in fine de expulso Ignatio mentio fiebat. Tum Michael petebat, ut Papa Legatos Constantinopolim mitteret. Is misit Rodoaldum & Zachariam, qui huc venientes concilium, seu verius latrocinium, adversus Ignatium celebrarunt, quem a se depositum dixere. Romam deinde cum Leone Imperatori Michaeli a Secretis reversi sunt, literas Imperatoris & Photii atque Acta sui Concilii deferentes. Tunc vero Nicolaus Papa rei veritatem edoctus convocato omnium Episcoporum Occidentis cum Clericis & Senatu Romano Concilio, Synodum latrocinalem damnavit, & perfidos Legatos suos deposuit. Hic est modus, quo damnavit Photium.*

Tum Bahanes eandem questionem Legatis Orientis movens, *Vos vero, inquit, tamdiu hic morati Legatos Romanos praestolantes, cum Photium vobis proximum haberetis, cur eum non adiistis, ut videretis saltem virum, prius quam damnaretis?* Hic surgens Elias Legatus Jerosolymitanus dixit: *S. Spiritus constituit Patriarchas ad tollenda scandala, quae in Ecclesia nascuntur. Cum igitur Photium nec prima Sedes, quae est anti-*

*Hist. Ecclesiast. Tom. XII. Z qua*



Sæculum IX. *qua Roma, nec tres Ecclesiæ Orientales, A. C. 869. nimirum Alexandrina, Antiochena, & Ierosolymitana, receperint, (\*) quid profuisset, eum ad examen vocare, & rursus judicare? nam juste fuisse condemnatum, exploratissimum erat. Nunquam alium quam Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum novimus, & si etiam, cum advenimus, exulasset, non ideo tamen alium recepissimus. Sed, Deo sint laudes maximæ, invenimus eum Sedi suæ restitutum, cum eo communicavimus, in Ecclesia ministravimus, domi manducavimus, quippe semper in ipsius communione permansimus, sicut statim in adventu nostro professi sumus.*

*Quamvis vero Photio collocuti non sumus, nihilominus satis intelleximus, cum frequenter cum ejus Sæcutoribus sermones miscuimus, quam frivola in suam defensionem afferat. Dicunt, Ignatium depositum & exulem Libellum abdicationis scripsisse, quam vero nec Roma nec nos recipimus, quod ea contra canones pugnet. Porro dicentes, illos, quibus in ordinatione Photii pars fuit, aut qui cum*

(\*) At recipit Photium Guilielmus Care. Quo autem argumento ad eum defendendum permoveretur? nullum aliud legi; quam quia Photius Romanum Pontificem excommunicationis fulmine (si Diis placet) generosissimo ausu perculerit.

eo communicarunt, eadem pœna dignos esse, verum non dicunt; naturæ fragilitas & mortis metus, nos quandoque ad id faciendum, quod nolumus, compellunt. Itaque qui a Methodio vel Ignatio ordinati Adversariorum violentiæ cesserunt, & errorem cito emendarunt, indulgentia indigni non sunt. Hæc causa est, cur Photium ad novum subeundum iudicium non vocaverimus. Cum enim ipse Photius quemdam Palatii Cæsarei præfectum ad Metropolitam Tyriensem misisset, qui quæreret, an eum Sedes Antiochena tanquam Patriarcham Constantinopolitanum recepisset, Metropolita rotunde negavit, Antiochenam Ecclesiam ipsum agnovisse. Placuit hæc responsio Senatui. Tum vero cum nox appeteret, Sessioni finis impositus, sæpius repetito clamore, quo Imperator, Eudoxia Imperatrix, Nicolaus Papa, Hadrianus Papa, Ignatius Patriarcha, Patriarchæ Orientis, Senatus, & Concilium laudabantur.

## §. XXIX.

*Sessio secunda. Pœnitentes recipiuntur.*

Post biduum, nempe septima Octobris anno octingentesimo sexagesimo nono Sessio secunda habita, cui iidem, qui in prima, interfuerunt. Initium fecit Paulus, Chartophilax Ecclesiæ Constanti-

p. 998.

Not. Anast.

Z 2

nopo-

Sæculum IX. nopolitanae, a Photio Archiepiscopus or-  
 A. C. 869. dinatus. Ei, cum ceteris deposito, Igna-  
 tius, quia hunc virum Ecclesiae utilem  
 fore judicabat, hanc Dignitatem contu-  
 lerat, secundum consilium Papæ, qui  
 scripserat, eidem quodcunque officium,  
 excepto Sacerdotio, concedi posse. Ce-  
 terum Chartarum custos, seu Charto-  
 philax Constantinopoli erat, quod Romæ  
 Bibliothecarius. Eodem utebantur cul-  
 tu, quo ministri Ecclesiastici, & eorum  
 munere fungebantur. Chartophilaxis  
 erat ad Patriarcham omnes Episcopos  
 aut Clericos adventantes deducere, de-  
 latis literas tradere, promovendos ad  
 Episcopatum, Abbatiam, aut ad sacros  
 Ordines offerre. Omnia cum ejus as-  
 sensu agenda erant. Paulus igitur stans  
 in medio Concilii dixit; illos, qui sub  
 Photio cecidissent, venisse cum Libello.  
 Primo admissi sunt Episcopi, qui coram  
 sancta Synodo prociderunt, manibus li-  
 bellum tenentes. Quibus Vicarii Ro-  
 mani: *Qui estis vos, & quis vos confe-  
 cravit?* Theodorus Metropolita Caria  
 respondit: *Sanctissimus Patriarcha Igna-  
 tius, & Beatus Methodius.* Legati Ro-  
 mani: *Quot estis?* Theodorus: *Nume-  
 rum nescimus.* Romani: *Quid vultis,  
 quid petitis?* Theodorus: *Procidimus  
 sanctæ & universali Synodo, penitentiam  
 expetentes.* Romani: *Quid hoc est, quod  
 manibus*

manibus tenetis? Episcopi: *Est Libellus confessionis de peccato in sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium admissio.* Sæculum IX.  
A. C. 869.

Romani: *An confitemini vos peccasse in hac causa?* Episcopi: *Confitemur.* Romani: *An in libello idem scriptum est, quod ore dicitis?* Episcopi: *Legatur, & quid sentiamus, certissime comperietis.* Tum, cum Legati Romani consilium Legatorum Orientis & totius Concilii expetiissent, libellus a Stephano Diacono lectus est, consentientibus omnibus.

Porro Libellus ad solos Papæ Legatos dirigebatur, & ita habebat: *Si mala maxima, quibus Photius Ecclesiam afflixit, Romæ ignorarentur, longo nobis sermone opus esset. Nunc vero habemus vos testes eorum, quæ egit contra Nicolaum Papam, virum summum, quem mendaciis & calumniis impetiit nunquam a se visum. Nam falsos Legatos omnium Patriarcharum ex Oriente accersivit ad condemnandum virum maximum per falsos testes; siquidem Photius in arte mentiendi decipiendique ita excellit, ut nemo unquam magis. Ignatium quoque Patriarcham nostrum pessime habuit, quem adhuc Laicus lacestiverat. Postea petiit a nobis promissum scriptum, quod Ignatium semper tanquam nostrum Patriarcham venerari vellemus.* p. 999. 1290.  
Libellus Photientium.

*Altera vero die infinitam mendaciorum*

Sæculum IX. multitudinem in eundem virum consue-  
A. C. 869. caepit, jussitque crudeliter excrucians,  
 ut abdicationis libellum ab eo extorqueret; unde sanctissimus Patriarcha exilium, carceres, vincula, verbera, famem, sitimque, ferre coactus. Quod si hæc minus est in Venerabilem Præsulem, Imperatorum filium & nepotem, qui vitam in sanctis Monasticæ vitæ exercitationibus transegerat, facile cogitatione assequi potestis, quantis malis nos humiles affecerit. Non nulli cum Infidelibus in Prætorio inclusi, fame & siti vexati. Alii ad secandum marmor damnati, & non fistibus modo sed gladiis verberati; nam minima supplicii pars erat, si quos calcibus in ventrem impactis percuterent. Catenis & monilibus ferreis ligabamur, & post multos dies fœnum in esum præbebatur. Alii in carceres caliginosos & fœtentes detrusi, alii in extremas orbis partes & ad Infideles relegati. His ærumnis fatigati & victi, cum & alios similia pati videremus, contra propositum, & ingemiscientes, cessimus. Unde ad vestram misericordiam recurrimus corde contrito & humiliato, profiteremur, quod Photium ejusque Sectatores rejiciamus, usque dum convertantur. Submittimus nos lubenti animo penitentia, quam nobis injungere Patriarcha nostro lubuerit.

His perlectis Legati Papæ dixerunt; *Recipimus vos secundum præceptum Hadriani Papæ culpam vestram confessos.* Sæculum IX.  
A. C. 869.  
Subjunxerunt Pontificii: *In mandatis habemus, a vobis petere, ut Libello, quem Roma attulimus, subscribatis. An vultis subscribere?* Episcopi: *Volumus, & illico subscribemus.* Tum, cum Legati eundem libellum, quod in prima Sessione factum, iterum recitari iussissent, Episcopi pœnitentes subscripserunt, vide. Subscribunt  
Pœnitentes. licet, Theodorus Cariæ, deinde Euthymius Catanensis, Photius Nacoliensis, Stephanus ex Cypro, Stephanus Cilyrensis, Theodorus Synopensis, Eustachius Acmoniensis, Xenophon Milassiensis, Leo Daphnusiensis, Paulus Melesius, universim Episcopi decem. Tum Ignatius Patriarcha consentientibus Legatis iussit, ut suos pœnitentiæ Libellos super Crucem & Evangelium deponerent, & postea ipsi afferrent. Cum id fecissent, Ignatius acceptis libellis cuilibet Pallium dedit pronuncians illa Evangelii verba: *Ecce sanus factus es, jam* Joan. 5. 14  
*noli peccare, ne deterius tibi aliquid fiat.* Illi maximas agentes gratias quilibet in suo gradu inter Episcopos Synodi confederunt.

His peractis introducuntur Presbyteri a Methodio & Ignatio ordinati, pariter ad pœnitentiam recipi flagitantes.

Sæculum IX. Undecim erant numero, exemplum E.  
A. C. 869. piscoporum sequentes, qui dato pœnitentiæ libello ejusdem tenoris, formula Roma allatæ subscripserunt, & Stolum a Patriarcha acceperunt. Inde Diaconi novem in Concilium admissi, quibus etiam pœnitentiam professis Patriarcha stolas suas reddidit. Tum Subdiaconos quoque septem reconciliavit & ordinis sui insignia, quæ non nominantur, restituit. Denique Patriarcha magna voce legi iussit pœnitentiæ rationem, quam omnibus injungebat, in hunc modum:  
*Pœnitentes illi, qui carnibus vescuntur, a carnibus, caseo, & ovis abstineant. Qui carnibus vesci non solent, abstineant a caseo, ovis, & piscibus diebus Mercurii & Veneris, & comedant legumina atque olera cum modico oleo & vino. Per singulos dies quinquagies genuflectant, & centies dicant Kyrie eleison, centies, Domine, peccavi! & centies, Domine ignosce mihi peccatori! item Psalmos sextum, trigesimum septimum, & quinquagesimum recitent. Hæc faciant usque ad Domini Nativitatem, & interim non habeant potestatem quoquo modo agendi, quæ Sacerdotum sunt.*

His, omnia prospera Imperatoribus & Pontificibus consuetis clamoribus precati, secundam Sessionem clausurunt.

## §. XXX.

Sæculum IX.  
A. C. 869.*Sessio tertia. Contumaces citantur.*

Sessio tertia undecima Octobris celebrata. Numerum vero Episcoporum illi decem, qui in superiore Sessione suscepti fuerant, & duo alii auxerant, unde viginti quatuor interfuerunt. Inprimis quidem Metrophanes Metropolita Smirnenſis quæſiuit, an non expediret legere literas Imperatoris ad Papam & ad Orientales, deinde etiam literas Ignatii Patriarchæ, & Hadriani Papæ? sed Legati Papæ dixerunt: *Scimus, esse Episcopos non nullos, a Methodio & Ignatio ordinatos, qui libello Roma miſſo ſubſcribere recuſant. Idcirco vobis, antequam ad alia progrediamur, injungimus, ut nomine Concilii ad eos vos conferatis, & admoneatis, nihil magis neceſſarium, quam ut Concilio ſe ſubſciant.* Idipſum Legati Orientis ſualerunt. Ergo Metropolitæ tres, Metrophanes Smirnenſis, Nicephorus Amafeenſis, & Nicetas Athenienſis eos ad eunt, & quæ in Mandatis haberent, duobus Metropolitis Theodulo Ancyrano & Nicephoro Niceno exponunt. Reſponderunt illi: *Quod ſpectat ad ſubſcriptionem, quam a nobis petitis, ſciatis, nos tot ſubſcriptionibus, bonis malisve, quas dedimus, fatigatos ſtatuiſſe, nosque etiam obſtrinxiffe,*

p. 1006.

II. Octobr.



Sæculum IX. *xiffe, ne cuiquam amplius formula sub-*  
A. C. 869. *scribamus. Sufficit enim, quod subscri-*  
*pserimus nostræ Fidei confessioni, cum*  
*ordinati fuimus, quæ in Chartophylacio*  
*Patriarchæ asservatur. Ideo rogamus*  
*Synodum, ut nobis, si fieri possit, tota*  
*vita nostra huic proposito inherere li-*  
*ceat.* Cum delegati hoc responsum scri-

*ptum attulissent, eam Vicarii Pontificis*  
*publice in Concilio recitari iusserunt.*  
*Sup. n. 17.* Tum ipsis iubentibus lecta est episto-  
 la Imperatoris Basilii, item Ignatii Pa-  
 triarchæ, ad Nicolaum Papam. Deinde  
 Marinus Diaconus, ex Legatis Pontifi-  
 ciis unus, Responsum Hadriani Papæ ad  
 Ignatium latine legit, quod Damianus  
 Interpres græce explicavit.

*p. 1014.* Legatis Pontificiis interrogantibus  
 hæc epistola videretur esse canonica,  
 Concilium eam approbavit. Mor-  
 que solitis acclamationibus soluta est  
 Sessio.

## §. XXXI.

*Sessio IV. An Papa cum Legatis*  
*Photii communicaverit.*

*13. Octobr.* Sessio quarta decima tertia Octobris ce-  
 lebrata. Bahanes Patricius dixit:  
*Sunt duo Episcopi, a Methodio ordinati,*  
*nomine Theophilus & Zacharias, qui*  
*Photio adhaerentes, eum ab Ecclesia Ro-*  
*mana receptum affirmant. Si vobis vi-*  
*detur,*

detur, mittantur ad eos, qui interrogent, a quo fuerint ordinati, & quibuscum  
 communicent. Ergo mittuntur nomine

Sæculum IX.  
 A. C. 869.

Legatorum Romanorum Pancratius Clericus, nomine Legatorum Orientis Ananias Clericus, & nomine Senatus Gregorius cubiculariis præfectus. Nec ad eos quisquam Episcopali ordine insignis missus est, quia depositi habebantur. Illi responderunt: *Ordinati a Methodio, cum Photio Patriarcha communicavimus.* Quo responso ad Synodum relato, & publice recitato, Episcopi exclamarunt: *Theophilo & Zachariæ pars est cum Photio!* volebant dicere, non esse audiendos.

Tunc vero Bahanes nomine Senatus dixit: *Imperatores huc nos miserunt testes fideles omnium, quæ agerentur, futuros. Si ergo vultis, ut pro more nomina nostra in fine Actorum hujus Synodi apponamus, edicimus, nos nec unam literam scripturos, nisi Photius admittatur, ut ore suo causam dicat, atque etiam ceteri Episcopi introducantur, quo eorum ora nobis præsentibus obstruantur; secus enim semper dicent, damnatos se fuisse non auditos, & scandali non erit finis.* Metrophanes Smirnensis, totius Concilii nomine elocutus, approbavit Senatorum consilium, petiitque, ut Schismatici admitterentur. Legati autem Romani dixerunt: *Num illi, quos addu-*

Sæculum IX. *adducere vultis, ignorant pronunciatum*  
A.C. 869. *Ecclesiæ Romanæ iudicium? ignorant,*  
 respondit Bahanes, *non enim aderant,*  
*Et suam damnationem solummodo aliis*  
*referentibus perceperunt. Iterum Le-*  
*gati Romani: Non licet nobis retrahere*  
*iudicia Pontificum. Habebant illi Roma*  
*Legatos suos, ex quibus, Photium fuisse*  
*damnatum, perceperunt. Nihilominus*  
*ut id ipsum melius percipiant, ingredian-*  
*tur, Et Synodicam definitionem atque Ni-*  
*colai Papæ iudicium sibi prælegi audiant.*  
*Excusationes quærunt, Et iudicium fu-*  
*giunt. Quin imo, dixerunt Senatores,*  
*si fugerent, non tanto clamore peterent*  
*iudicari, sed fugam arriperent. Legati*  
*Romani: Ingrediantur, Et stent ibi in*  
*ultimo loco. Senatus addidit: Rogamus*  
*vos, ut præter hos admittantur tres qua-*  
*tuorve, qui Photii sunt, Et auscultent,*  
*saltem sicut sæculares isti, qui stant post*  
*nos; utilissimum ad res componendas hoc*  
*erit. Legati Romani: Si profiteantur,*  
*se nomine omnium sectatorum suorum ve-*  
*nire, admittemus, non ut disputantes au-*  
*diamus, sed ipsi Epistolam Nicolai Papæ*  
*auscultent.*

Missis igitur quibusdam ex adstanti-  
 bus, qui eos advocarent, non sunt in-  
 venti. Tum Senatus ad Legatos Roma-  
 nos: *Nescientes, se a Concilio vocandos,*  
*abierunt; duo autem illi, quos interro-*  
 gari

*gari iussistis, nempe Theophilus & Zacharias, adhuc ibi stant. Si placet, eorum causa examinetur. Legati quæsierunt: An hi duo libellum oblaturi sunt, vel habent, quod ore proprio Synodo suggerant? Responderunt Senatores: Non habent; sed hi duo toti populi multitudini maxime nocent, affirmantes, se, volente Nicolao Papa, Missarum solemniam cum ipso celebrasse. Unde populus infert, Papam cum iis communicantem etiam communicasse cum Photio, ipsumque pro Patriarcha habuisse. Maximo Ecclesie emolumento mendacii convincentur. Legati, postquam etiamnum aliqua opposuissent, tandem consenserunt, ut ingrederentur.*

*Theophilo & Zacharia ingressis, Legati Papæ rogarunt Senatores, ut ex iis, quæ viderentur, sciscitarentur. Et Senatores: Faciemus, vobis præstantes obedientiam, non vero nostra auctoritate, nam vos hic soli potestatem tenetis. Bahanes ergo ex ipsis quærit; an vellent audire Libellum (nimirum formulam abjuratiōis Roma missam) Theophilus & Zacharias responderunt: Nolumus audire hunc Libellum, nec voluntas fuit huc venire. Jusserat Imperator, ut in Palatio inveniremur. Hinc in ipsius conspectu stetimus. Quid nobis & huic libello? Bahanes dixit: An in Palatio affirmastis:*

Sæculum IX.  
A. C. 869.

Theophilus  
& Zacharias.

p. 1010.

Sæculum IX. *stis: Probare possumus, quod tanquam E-*  
A. C. 869. *piscopi cum Nicolao Papa Sacris operati*  
*fuerimus? Zacharias & Theophilus: Af-*  
*firmavimus, & iterum affirmamus. Ni-*  
*colaus Papa nos ut Episcopos suscepit,*  
*& cum ipso celebravimus. Legati Ro-*  
*mani dixerunt: Absit hoc, absit! men-*  
*tiuntur, contra veritatem loquuntur.*  
*Zacharias & Theophilus: Si mendaces*  
*sumus, nolite nos interrogare. Marinus*  
*Diaconus trium Legatorum alter dixit:*  
*An forsan illi solum solent interrogari,*  
*qui verum fatentur? Theophilus, digi-*  
*to ostendens Marinum Diaconum, hunc*  
*ipsum, qui mihi loquitur, interrogat,*  
*an non illo tempore Romæ fuerit, quan-*  
*do hæc gesta sunt? Marinus Legatus di-*  
*xit: Illo tempore Subdiaconus eram, a*  
*Leone Papa ordinatus, & Ecclesiæ Ro-*  
*manæ ab anno ætatis duodecimo servie-*  
*bam. Cum isti Romam venerunt, cum*  
*Arsabero, ego in Ecclesia S. Mariæ ad*  
*præsepe ministrabam, ubi eos Nicolaus*  
*Papa recepit, postquam libellum tradi-*  
*dissent, & præstitissent juramentum. Sed*  
*Communionem in loco Episcoporum eis*  
*non dedit. Theophilus: Nunquid viri*  
*ignotus tunc eram? Imo, Imperator &*  
*Concilium me miserant.*

Senatores dixerunt: *An Epistolas*  
*detulistis, quando cum Legatis Rodolfo*  
*& Zacharia proficisceremini? Theophi-*  
 lus

lus & Zacharias responderunt: *Nesci-* Sæculum IX.  
*mus.* Legati Romani: *Jam, toti Con-* A. C. 869.  
*cilio liquet, quod mendaces sint. Dicunt,*  
*se missos fuisse, ut Legationem obirent,*  
*& nesciunt, an sibi commissæ fuerint li-*  
*teræ deferendæ.* Theophilus: *Tunc mi-*  
*bi curæ non fuit scire, an deferrentur*  
*literæ; sed Legatos proficiscentes comi-*  
*tabar.* Senatores: *Quæ erat summa,*  
*quis tenor Epistolæ, quam Romanis detuli-*  
*stis?* Theophilus: *Nescio.* Legati Ro-  
 mani: *An necdum Concilio fides facta*  
*est, ab Ecclesia Romana Photium nun-*  
*quam fuisse receptum, nec alios ab ipso*  
*ordinatos?* Senatores: *Quomodo ergo se* Concilium  
*receptos fuisse dicunt:* Romani: *Quia* Oecumeni-  
*mentiuntur.* Atque, ut bujus rei cer- cum VIII.  
*tissimi efficiamini, legantur Epistolæ Ni-*  
*colai Papæ ad Imperatorem Michaelem,*  
*& ad ipsum Photium datæ.*

LECTA est prima Epistola ad Impera-  
 torem, vigesima quinta Sept. anno o-  
 ctingentesimo sexagesimo data, in qua  
 Nicolaus Papa disertis verbis negat, p. 1021.  
 posse se in Ordinationem Photii consen-  
 tire, priusquam Legati sui redierint.  
 Quod Senatores bene notarunt. Lecta *Sup. Lib. L.*  
 deinde Epistola ad eundem Imperatorem, §. 11.  
 per Leonem a Secretis delata, decima *Nic. ep. 5.*  
 nona Martii anno octingentesimo sexa- *Sup. Lib. L.*  
 gesimo secundo data, in qua Nicolaus §. 18.  
 Papa, Legatis suis jam reversis, edicit,  
 ea;

Sæculum IX. ea, quæ Constantinopoli ipsis præsentibus acta essent, sibi non probari, nec posse a se Ignatium damnari, aut Photium recipi.

p. 1030.

Antequam tota Epistola perlecta fuisset, Theophilus dixit: *Si Photius damnatur, etiam illi damnentur, qui eum ordinarunt.* Tunc Concilium dixit: *Ergo etiam vos damnati estis, qui eum recepistis, & cum eo communicastis.* Theophilus: *Cum ordinatus fuit, non adevam, Patriarcham inveni, & pro Patriarcha habui.* His Epistolis perlectis, Theodorus Cariæ surgens dixit: *huc usque firmissime credebam, damnandum fuisse Nicolaum Papam, quia, fidem adhibens his hominibus, putabam, quod primo Photium recepisset, & postea eundem perditum voluisset.*

Tum Concilium ad Theophilum: *Ab hæ Epistolæ inde (id est Roma) advenerunt nescio, respondit Theophilus, an hæ sint vel aliæ.* Theodorus conversus ad Theophilum: *Quomodo probare potes, quod cum Nicolao Papa celebraveris.* Theophilus: *Det mihi Imperator fidem suam scripto, & ego demonstrabo, coram Deo loquor, quod cum ipso communicaverim, & celebraverim. Iterum affirmo; communicavimus & celebravimus cum ipso.*

ep. 6.

Mox jubente Concilio lecta est Epistola Nicolai Papæ ad Photium, decima octava Martii anno octingentesimo sexagesimo.

gesimo secundo data, in qua declarat, *Sæculum IX.*  
 nec se Ignatium pro deposito, nec ex con- *A. C. 869.*  
 sequenti Photium pro Patriarcha habe-  
 re posse. Cum legeretur ille locus Epi-  
 stolæ, ubi Papa rationem de Ordinatione  
 S. Ambrosii & Nectarii explicat, Theophilus  
 dixit: *Hæc omnia Romæ a Romanis*  
*jaçtari audivi. Attamen receperunt*  
*Domnum Photium.* Theodorus Cariæ  
 dixit: *Quomodo affirmas, quod Papa*  
*recepit, quem Mæchum appellat? Cui*  
 Theophilus: *Tu vero, quomodo eum*  
*recepisti? Theodorus: Usque ad hesternum*  
*diem tecum sapiebam. At cognoscens jam,*  
*a Nicolao Papa nunquam reje-*  
*ctum fuisse Ignatium, nec receptum Pho-*  
*tium, ad Ignatium conversus sum.* Theo-  
 philus: *Inde discas, qualis fuerit Nico-*  
 laus. Theodorus: *Quomodo demonstra-*  
*re potes, quod Nicolaus Papa te receperit?*  
 Theophilus: *Dixi; det mihi hodie Im-*  
*perator fidem publicam, testes, quos pro-*  
*ducam, tuto prodire posse, & demon-*  
*strabo.*

## §. XXXII.

*Photius a Patriarchis rejeçtus.*

Senatores deinde ex Legatis Orientis  
 quæsierunt; an unquam recepissent  
 Photium, aut ad eum literas communio-  
 nis indices dedissent. Thomas Metro-  
 polita Tyriensis respondit: *Nunquam*  
*Hist. Eccles. Tom. XII. A a eum*



Sæculum IX. *eum in Ecclesia Antiochena recepimus,*  
A. C. 869. *nec dedimus communionis testes literas,*  
*nec ab eo accepimus.*

Elias Syncellus Jerosolymitanus dixit: *Si Photius ejusque sectatores Imperatorem fide dignum habent, hic eos per Legatos suos Isayam & Spiridionem, Cypprios, certiores faciet, quod me prope vitum ex amplexu Patriarchæ nostri Theodosii extorserit; affirmo autem coram Deo & Angelis, quod Photium Episcopum non receperimus, nec ab eo accepimus Epistolas, nec ad eum dederimus.* Metrophanes Smyrnensis dixit: *Ex his, quæ hodie acta sunt, videmus, Photium nec Romæ, nec ab aliis Patriarchis unquam fuisse receptum.* Deinde ad ceteros Episcopos conversus: *Quid vobis videtur, inquit, Fratres mei! Theodorus Carie dixit: Ago gratias Deo, quod Sancti hujus Concilii auxilio liberatus sim gravi & continua sollicitudine, an nempe Photius a Patriarchis receptus fuisset. Ideo confiteor delictum meum, quod ipsum per errorem secutus sim.*

Senatores ad Legatos Papæ dixerunt: *Mos est in Romana Ecclesia ab omni homine hospite confessionem Fidei exigendi, antequam in S. Petri Basilicam admittantur; an isti, simul manu Theophilum & Zachariam indicabant, hunc morem observarunt, vel non? Legati Romani:*

mani: *Ita est, observarunt.* Zacharias & Theophilus: *An unum vel duos Libellos scripsimus?* Legati Romani: *Duos scripsistis.* Omnino etiam confessionem Fidei, antequam Romam intrarent, tradiderant, & præterea libellum, quo se Decretis Sacræ Sedis obedientes profitebantur, antequam ad communionem admitterentur. Tum Senatores ex Legatis Romanis quæsierunt, quid ille Libellus contineret. Responderunt: *Quod vellent Fidem Ecclesiæ Catholicæ tenere & defendere, atque in omnibus Ecclesiæ Romanæ iudicium sequi.* Bahanes Patritius dixit: *Hesternæ ad huc die id ipsum edixerunt in Secretario; quod per omnia Romanorum Ecclesiæ consentiant.* Quærite ergo, dixerunt Legati, *an scribere velint Libellum Romanum.* Senatores ad Theophilum & Zachariam: *An scribitis hunc Libellum, vel non?* responderunt: *Nolumus de hoc Libello mentionem fieri.* Legati Romani: *Ergo foras eos emittite.* Illis etiam eiectionis, solito clamore Sessio finita.

## §. XXXIII.

*Sessio V. Photius in Concilio.*

Sessio quinta decima nona Octobris celebrata. Paulus Chartophilax Concilio indicavit, missum sibi ab Imperatore fuisse Photium. Legati Romani dixerunt:

Sæculum IX. A.C. 869. *xerunt: An Photius in conspectum nostrum venire desiderat? Respondit Paulus: Nescimus, an desideret. Sed si jurebetis, discemus.*

Octobr.

Jusserunt Legati Romani, ut mitterentur, qui voluntatem Photii exquirerent, sed Laici, quippe & ipsum pro Laico habebant. Itaque Senatus ad Photium mittit tres Imperatoris præfectos Sisinnium, Eutychianum, & Georgium, quemdam Laicum de comitatu Legatorum Romanorum nomine Leonem, & duos de comitatu Legatorum Orientalium Cyriacum & Josephum. His sex delegatis a Concilio mandatum, ut Photio dicerent: *Vis venire in sanctam Synodum universalem, an non? Si autem respondisset, quod non; interrogarent: Quare non vis?*

Psal. 38.

Delegatis in Concilium regressis, præceperunt Episcopi, ut Responsum Photii magna voce legeretur. Erat vero hujusmodi: *Nunquam antea ad Synodum me vocastis, & modo miror, quod vocetis. Sed ultro non ibo. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Quod sequitur ipsi legite.* Scilicet illa Psalmi verba: *Cum consisteret peccator adversum me.* Quo responso audito, Legati Romani dixerunt: *Non eum vocamus, ut nos doceat, sed ut ipso presente causa finiatur, quæ Ecclesiæ Romanæ*

& Orientis tantorum laborum occasio ex-  
 titit. Cuncti Episcopi petierunt, ut vo-  
 caretur, atque Elias Syncellus Jero-  
 solymitanus admonitionem dictavit ipsi  
 mittendam, ejusmodi: *Cum viros, qui  
 banc Sanctam Synodum constituunt, pec-  
 catores pronunciaveris, Legatos, Episco-  
 pos, Senatum, verba Prophetæ maligne  
 detorquens, respondemus, quod plenus ope-  
 ribus tenebrarum lucem fugias. Sed scri-  
 ptum est: in campo & freno maxillas eorum* Psal. 31. 9.  
*constringe, qui non approximant ad te.*  
*Concilii et Imperatoris potestate, quod Pro-  
 pheta hic dicit, fiet.* Hac admonitione  
 ad Photium delata & perlecta, respondit:  
*Cum ad veniendum compellit, cur inter-  
 rogando tempus teritis?* Hoc quoque re-  
 sponso audito, secunda ei admonitio mit-  
 titur hujusmodi: *Vocavimus te, secun-  
 dum ritum Ecclesiæ, sperantes ultro te ven-  
 turum; sed quia peccator es, & manife-  
 stus, nolisti Synodum sponte intrare  
 damnationem pertimescens. Quare hac  
 secunda admonitione jubemus, ut etiam  
 nolens adducaris. Tum in Concilium in-  
 troducitur.*

Legati Papæ ad Senatores dixe-  
 runt: *Quis est ille, qui in novissi-  
 mo loco hujus Sanctæ Synodi adstat?* Se-  
 natores responderunt: *Photius est.* Le-  
 gati: *An ille est Photius, propter quem* Photius in  
*Sancta Ecclesia Romana per annos septem* Concilio ta-  
 cet.

Sæculum IX. *Et amplius sustinuit labores multos? quæ  
 A. C. 869. etiam Ecclesiam Constantinopolitanam  
 funditus evertit, Et usque in hunc diem  
 Ecclesias Orientis fatigavit? Senato-  
 res dixerunt: hic est. Legati Romani  
 quæsierunt; an recipit Constituta Sena-  
 torum Patrum? Senatores dixerunt:  
 interrogetur. Et ipsis jubentibus Geor-  
 gius Palatii Custos interrogavit. Sed  
 Photius non respondit. Legati Romani  
 quoque interrogarunt, & subjunxerunt:  
 An recipis explicationem Nicolai Papa?  
 recipis, quæ egit Hadrianus Papa, ejus  
 Successor? dicat! dicat! Photius nec-  
 dum quidquam respondit. Legati Ro-  
 mani: Audivimus, quod homo sit ele-  
 quens, Et scimus, quod sit magnus pecca-  
 tor Et adulter, dicat! dicat! Photius  
 dixit: Deus audit vocem meam, etiam tu-  
 centis. Legati: Per silentium non effu-  
 gies manifestam damnationem. Photius  
 dixit: nec Jesus tacendo evasit damna-  
 tionem.*

Legati Orientis dixerunt: *Insole-  
 tissima hæc locutio nullo responso digna  
 est. Homuncule (\*)! tu te Jesu Christo  
 compares? nulla communicatio lucis ad  
 a. Cor. 6. 15. tenebras! quid Christo, Et Belial? sed re-  
 sponde Sanctissimis Vicariis Senioris Ro-  
 ma*

(\*) Hac castigatione præclara Photius dignif-  
 simus fuit.

ma, an Romanorum Pontificum Decreta **Sæculum IX.**  
*suscipias.* Photio non respondente, **A.C. 869.**  
 Legati Romani dixerunt: *Inclinet cervi-*  
*cem suam, verbo & scripto confiteatur*  
*peccatum suum, anathematizet, quæ sum-*  
*ma injuria bis adversus Ignatium Patriar-*  
*cham egit, promittat, se nihil amplius*  
*contra ipsum insidiosè machinaturum, sed*  
*eum Pontificem suum magno pudore susci-*  
*piat, & Apostolicæ Cathedræ judicia tam*  
*de se quam de Ignatio Patriarcha promul-*  
*gata, ut debet, amplectatur.* Photio con-  
 tumaciter silente, Legati Romani sub-  
 junxerunt: *Ecce homo, qui obturavit au-*  
*res suas, sicut aspidis surdæ. Et vocem*  
*Synodi audire contemnit. Legantur epi-*  
*stolæ, ipsius causa a Sancta Romana Eccle-*  
*sia missæ.* Lecta est epistola Nicolai Pa-  
 pæ ad Michaelè Imperatorem, item  
 epistola Photii a Rodoaldo & Zacharia  
 delata, quæ jam in præcedente Sessione  
 recitatæ fuerant. Hac secunda epistola  
 perlecta Metropolitæ Photium interro-  
 garunt, cur non responderet. Sed ipse  
 filuit. Præterea lecta est epistola Impera-  
 toris per Leonem a Secretis missa, & tan-  
 dem prima ad Photium vigesima quinta  
 Sept. anno octingentesimo sexagesimo  
 data, prius nunquam lecta, in qua Pon-  
 tificex ejus Fidei confessionem recipit, re-  
 probans ordinationem.

Ps. 57.

Sup. lib. I.  
§. II.

Sæculum IX. Tunc autem, postquam Vicarii Ori-  
 A. C. 869. tis fandi licentiam petiissent, Elias ca-  
 thedram ascendit & peroravit in hunc  
 modum: *Scitis, quia in præteritis tem-*

p. 1041.

Oratio Eliæ  
 Jerosolymita-  
 ni.  
 \* encolpium  
 suum.

*poribus Imperatores congregabant Syno-  
 dos, & ex toto terrarum orbe Vicarios  
 colligebant. Constat eum solummodo  
 de Conciliis generalibus loqui, ut notat  
 Anastasius. Et prosequitur: Nemo ipso  
 Imperatore melius, unde venerimus, & a  
 quibus missi sumus, testatum facere potest.  
 Ex quo hic sumus, ubi per annos propemo-  
 dum duos, priusquam Legati Romani ad-  
 venissent, versabamur, quadam die Impe-  
 rator Sacris, quas gestare adsuevit, Re-  
 liquiis\*, collo nostro injectis, ait: Deus  
 aliquando in die Judicii rationem exqui-  
 ret hujus Sententiæ, quam nomine totius  
 Ecclesiæ pronunciaturi estis; cavete igitur  
 viri, senectute venerabiles, ne favore aut  
 odio cujuscunque vos ad judicandum im-  
 pelli sinatis. Hanc regulam amplectimur  
 & imperturbati sequimur. Itaque non  
 ideo recipimus Ignatium, quod eum in  
 Throno Episcopali sedere & magna aucto-  
 ritate præditum cernimus, nec ideo Pbo-  
 tium damnamus, quia ibi stare cogitur,  
 & omni potestate exutus videtur. Quam-  
 vis etiam intempesta commiseratione fle-  
 ti nolimus; nam videtis, pervicacis ho-  
 minis silentium, Sanctam Synodum sper-  
 nentis. Id enim ex paucis, quæ protulit,  
 satis*

*satis constat. Ego autem Ecclesie Jero-* Sæculum IX.  
A. C. 869.  
*solymitanæ ab annis septem integris Syn-*  
*cellus perbene novi, nos ab eo nullas litte-*  
*ras accepisse, nec ei remisisse. Sed & fre-*  
*quenter audistis, quid Sanctissimus Tho-*  
*mas Metropolita Tyriensis locutus fuerit.*  
*Id vero nunc etiam affirmat, quod Sedes*  
*Antiochena neque suscepit unquam a*  
*Photio litteras, neque scripserit. Illud*  
*quoque novistis, quid Ecclesia Romana de*  
*ipso decreverit; unde iterum id ipsum ei*  
*in faciem dico, quod oculis suis videat,*  
*& auribus audiat. Satis damnatus est,*  
*quem nulla Sedes Patriarchalis recepit.*  
*Et inepte hodie studet silentio, quo igna-*  
*ris imponere cupit, simulatque, sibi argu-*  
*menta non deesse. Nam nihil habet, quod*  
*opponat, & in sui defensionem proferat.*  
*Omnibus nobis notum est, quam immani*  
*fiducia in Sedem Constantinopolitanam in-*  
*silierit, & quanta tyrannide obtinuerit.*  
*Nunc ergo consilium damus ei & admone-*  
*mus, ut cognoscat peccatum suum, & si*  
*quidem penitentiam egerit manifeste ac*  
*sincere, suscipiatur in Ecclesia Salvatoris*  
*Nostri quemadmodum unusquisque Fide-*  
*lium, habens spem vitæ æternæ.*

Inde Legatorum Romanorum sen-  
 tentia lecta, in hæc verba: *Vidistis,*  
*Fratres nostri, & audistis, quæ ex multo*  
*tempore dicta & gesta sint in hac causa.*  
*Nemini non constat, Photii Ordinationem*

A a §                      *recipi*



Sæculum IX. *recipi non potuisse, atque Ignatium Pa-*  
A. C. 869. *triarcham contra æquitatem & Canones*  
*fuisse depositum. Nos ergo non novum*  
*judicium pronunciabimus, sed illud quod*  
*Nicolaus Papa pronunciavit, & Hadria-*  
*nus Papa confirmavit. Quis vero ulte-*  
*rius, Christianus esse volens, eum recipiat,*  
*quem nec Sedes nostra Apostolica, nec Se-*  
*des Orientales receperunt? sed ejusmodi*  
*conatum abjicimus & sub anathematis*  
*pæna prohibemus, ne deinceps in quocun-*  
*que Ecclesia Legitimus Episcopus a fi-*  
*ctione Sæculari temere e Sede sua ejici-*  
*tur, & alius inique subrogetur. Edicite,*  
*num placeat vobis sensus iste! quod si*  
*vero a vobis non acceptaretur, nos tamen*  
*in hac Synodo tanquam supra montem ele-*  
*vavimus vocem nostram, qua vobis Acta*  
*Patrum nostrorum promulgavimus. Hanc*  
*sententiam perlectam, Legatis, quid Con-*  
*cilium sentiret, exquirentibus, omnes ap-*  
*probarunt.*

Legati Romani iterum Photium hor-  
 tari, ut cervices flecteret coram Conci-  
 lio & Ignatio, quo ad Communionem  
 laicam reciperetur. Et Bahanes Patri-  
 cius: *Loquere, Domine Photi, loquere,*  
*quæcunque causæ tuæ prodesse possunt. Te-*  
*tus Mundus in hoc loco collectus est. Secu-*  
*timendum, ne Sancta Synodus misericor-*  
*diæ suæ viscera claudat. Quo namque*  
*confugies? Romam? ecce, Romani hic.*  
 In

Photius con-  
 tumax.

*In Orientem? ecce, Orientales adsunt. Sæculum IX. Claudetur janua, quam, si isti clauferint, A. C. 869. nemo aperiet. Dic, vir Dei, quid babes pro causa tua? Photius respondit: Justificatio mea non est in hoc mundo. Si in hoc mundo esset, videretis eam. Bahanes reposuit: Credimus, quod pudore & metu turbatus desipias, nesciens, quid loquaris. Hinc Sancta & universalis Synodus concedit tibi spatium, quo consulas saluti tuæ. Vade, dum redire jubearis. Photius: Spatium temporis nullum peto; me autem dimittere in vestra potestate est. Tandem Bahanes eum rursus monuit, ut salutem suam curaret, & perpenderet, post Legatorum abitum, quidquid dicturus vel facturus esset, nihil firmum fore vel validum. Sed frustra omnia; ipse enim vocem obstinate pressit. Tandem Concilium: Vadat, & penset, quid sibi profuturum sit. Exiit Photius, & soluta est Sessio.*

## §. XXXIV.

*Sessio sexta. Imperator in Concilio.*

*Sessioni sextæ vigesima quinta Octobris celebratæ ipse Imperator Basilius primo loco sedens interfuit. Cum Metrophanes Smirnensis brevem sermonem in laudem Concilii & Imperatoris pronunciaffet, Patres luci Cœli, & fluminibus terræ comparans, jussit Imperator legi*

Sæculum IX. legi libellum a Legatis Papæ allatum, in  
 A. C. 869. quo tota causa in compendium contra-

hebatur, & dicebatur in fine; quia jam  
 tota Ecclesia in damnando Photio con-  
 sentiret, non amplius expedire, ut Pho-  
 tii fautores audirentur. Nihilominus

25. Octobr. jubente Imperatore introducti sunt Epi-  
 scopi Photio adhaerentes, & ipsis præ-  
 sentibus lectæ sunt litteræ Nicolai Papæ  
 ad Michaellem Imperatorem & ad Pho-  
 tium deferente Leone a secretis data.

p. 1048.  
 1313.

Tum Elias Syncellus Jerosolymitanus ser-  
 monem habuit ad Synodum, & postquam  
 in exordio Gratias egisset Imperatori,  
 quod tanto zelo Ecclesiæ pacem curaret,  
 & omnia acta brevissima narratione fu-  
 isset complexus, omnibus viribus affir-  
 mavit, libellum abdicationis ab Ignatio  
 in suo exilio datum, nullius esse valoris,  
 utpote vi extortum; si tamen revera  
 talis libellus existeret. Et subjunxit:

*Si Photii Fautores dicant, omnes Metro-  
 politas & Episcopos congregatos Photium  
 ordinasse, ideoque, si ipse recipi non posset,  
 multo minus eum Ordinantes; eis objici-  
 mus, quod in Concilio secundo sub Theo-  
 dosio Imperatore in hac Civitate Constan-  
 tinopolitana celebrato actum est, ubi reje-  
 cto Maximo Cynico, & omnibus ab ipso  
 ordinatis, illi tamen, qui ipsum ordina-  
 verant, damnati non sunt. Hinc etiam  
 Episcopos, qui, cum ordinaretur Photius,  
 inter-*

Sup. lib.  
 XVIII.

§. 1.  
 Concil. Con-  
 stant. c. 4.

*interfuerunt, non rejicimus, quia ab Im-* Sæculum IX.  
*peratore ad id faciendum fuerunt compulsi.* A. C. 869.

*Solum Gregorium Syracusanum, jam  
 prius depositum, atque ab Ignatio Patriar-  
 cha & Ecclesia Romana anathematizatum  
 damnamus.*

Elia hæc elocuto complures Episco- *Gr. p. 1313.*  
 pi ex Fautoribus Photii, Concilio se sub-  
 jicientes, veniam obtinuerunt. (\*) Ce-  
 teri promissa sua & jusjurandum obten-  
 derunt. Sed omnes Legati dixerunt:  
*Hæc omnia vobis dissolvimus per gratiam  
 Jesu Christi, qui nobis ligandi & solven-  
 di potestatem dedit; quoniam ad ea fa-  
 cienda compulsi fuistis. Quod Judicium  
 nostrum vobis coram Imperatore & Con-  
 cilio manifestamus. Tunc Imperator ad* *p. 1094.*  
 Episcopos Photianos: *Audivistis jam  
 sententiam Patriarcharum Romani, Je-  
 rosolymitani & Antiocheni. Quid vo-  
 bis videtur? Illi: respondemus ad hæc.*  
 Et aliquis ex eorum numero Euthymius  
 Cæsa-

(\*) Non accurate hæc narrat Fleurius. Non enim hic aliqui iterum Episcopi Photiani conversi, sed Elias sermonem suum prosecutus dicit: *Hæc enim plurimi eorum, qui Photii factionis erant, scientes, confugerunt salubriter, ac reverenter atque sensate ad Sanctam Synodum, & convenientem veniam meruerunt.* Tom. V. Act. Conc. Edit. Paris. sermo igitur est de iis, qui ab initio recepti fuerant.

Sæculum IX. Cæsariensis in Cappadocia, a Photio or  
A. C. 869. dinatus, dixit: *Domine Imperator! no-  
 vimus te optimum Principem, & Justi-  
 tiæ amantem. Da nobis in litteris pu-  
 blicis fidem tuam, quod causam nostram  
 libere propugnare possimus, & speramus,  
 nos demonstraturos, omnia, quæ nobis op-  
 ponuntur, nullius esse roboris.*

Imperator reposuit: *Vos, vos potius,  
 loquimini talia, quæ nullius ponderis esse  
 queunt, cum ea respuitis, quæ a Cathedris  
 Patriarchalibus decernuntur. Concilio-  
 bula vestra a vobis solis & solius Prin-  
 cipis auctoritate, sine Patriarcharum con-  
 sensu celebrata, Sancta appellare ausi estis,  
 & banc Synodum contemnere non erube-  
 scitis. Minime ignoratis vos, & quot-  
 quot sunt sub sole homines, quod per Dei  
 auxilium quinque Cathedræ Patriarcha-  
 les in fide errare non possint. Ergo eo-  
 rum iudicia cuncta recipere tenemini.  
 Sed apparet, vos non credere, ea quæ modo  
 statuuntur, revera Cathedrarum omnium  
 auctoritate fieri. Ideo quæro; credi-  
 tis omnium Patriarcharum consensu hoc  
 fieri, vel non creditis? Episcopi Pho-  
 tiani responderunt: *De hoc non dubi-  
 tamus. Si creditis, inquit Imperator,  
 eorum sententiam recipite. Si non cre-  
 ditis, ego itineris vestri expensas suppeditabo.* *Ite ad Patriarchas, & in rei veri-  
 tatem**

tatem inquire. *Episcopi Photii: Hic*  
 inquirendum est.

Sæculum IX.  
 A. C. 869.

§. XXXV.

*Objecta Photio faventia.*

**Z**acharias Episcopus Calcedonenſis a  
 Photio ordinatus, dixit: *Canones*  
*ſupra Papam Nicolaum & omnes Patriar-*  
*chas ſunt. Si faciant illi, quod contra*  
*Canones pugnat, iis non ſubjicimur. Ju-*  
*lius Papa Marcellum Ancyranum recepit,*  
*eumque Concilium Sardicenſe trecento-*  
*rum Episcoporum innocentem declaravit,*  
*& nihilominus inter Hæreticos hodie ana-*  
*thematizatus eſt. Infelix ille Apiarius,*  
*ab Episcopis Romanis deſenſus, rejectus eſt*  
*ab Africæ Concilio, quod Papæ ſcripſit,*  
*melius facturum, ſi propria curaret, &*  
*extra fines ſuos non excederet. Et alia*  
*ejusmodi paradigmata decies mille babe-*  
*mus. Si dicatur, Photium non debuiſſe*  
*ex Laico ordinari Archiepiſcopum, ſequi-*  
*tur quidem, oportere ex hac admonitione*  
*Ordinantes impoſterum cautos reddi, ſed*  
*ideo damnari non poteſt. Ceterum con-*  
*ſuetudo hanc regulam ſuperavit. Ita or-*  
*dinati fuere Tarasius, Nicephorus, Neſta-*  
*rius. Cæſaræ, Talasſius & Eusebius.*  
*Mediolani Ambroſius, & alii innumeri.*  
*Item ſi dicatur, quod a depositis fuerit*  
*ordinatus; primum non opinamur hoc ve-*  
*rum eſſe. Neque etiam ob crimina depo-*  
*ſiti*

Sæculum IX. *fiti fuerunt, sed quod Ecclesiæ obedire no-*  
 A. C. 869. *luerint, cui vero postea se submiserunt.*

*Verumtamen etiamsi Gregorius depositus*  
*fuiisset; num ideo Photius ejus manibus*  
*consecratus esset noxius, vel alii, qui ejus*  
*Ordinationi interfuerunt? Flavianus*  
*deposuit Eutychem, & suscepit eum An-*  
*tolius. Nihilominus Episcopi quartæ Sy-*  
*nodi non sunt damnati, quod cum isto com-*  
*municaverint. Petrus Mongus a Prote-*  
*rio depositus fuit, quod esset Hæreticus,*  
*& post Timotheum Sedem Patriarchalem*  
*tenuit, quin tamen quisquam eorum, quos*  
*ordinaverat, damnatus fuerit. Acacius*  
*Constantinopolitanus condemnatus fuit a*  
*Papa Romano. Ille quidem banc damna-*  
*tionem insuper habuit, & ipsius Successo-*  
*res, qui eum receperant, Fravitta, Eu-*  
*thymius, & Macedonius in Ecclesia reci-*  
*piuntur. Hoc itaque statuimus; si quis*  
*Canon nos deponat, acquiescimus, secus*  
*non paremus. (\*) Etenim Flavianum*  
*Antiochiæ Patriarcham Romani non re-*  
*ceperunt; quem vero nullus Canon con-*  
*demnavit.*

Basilii Imperator dixit: *Omnes illi,*  
 p. 1051. *quos memoratis, diversis temporibus lapsi*  
 1320. *ab aliis Patriarchis erecti fuerunt; vobis*  
*vero ejusmodi auxilium defuit. Omnes*  
 Patriar-

(\*) Hæc omnia infra fuse & solide refu-  
 tantur.

*Patriarchæ vos damnant. Nunc autem* Sæculum IX.  
A.C. 869.  
*Salus vestra nobis curæ est, & hortamur,*  
*ut veniam vobis a Concilio oblatam amplectamini. Omnes novimus, quod Laici*  
*fitis; nec vos huc accersivimus, ut incondite latretis, quippe quæcunque profertis*  
*mendacia sunt ad seducendos alios contexta. Episcopi Photiani dixerunt: Hoc*  
*nec Diabolus ausus est dicere. Et Imperator sermonem profecutus, possētis dicere,*  
*inquit, eodem tempore quo Deus permisit, vos Episcopali ministerio fungi,*  
*etiam permisisse majora mala, quæ oculis vestris conspiciatis. Habemus Episcopos,*  
*quorum aliqui sunt Patricii, alii Spatharii, alii Stabularii. Possum coram vobis*  
*probare, quod Theophilus Protospatharius, Pallio more Patriarcharum ornatus*  
*Photio incensum tradiderit. Tum Imperator conversus ad Eulampium, addidit:*  
*An non ipse vidisti? Cui Eulampius respondit: Si eum vidi, deleat me*  
*servum suum Dominus Deus de libro vitæ. Attamen, Domine, Ignatius munus*  
*abdicavit. Imperator: Ubi tunc erat, quando abdicavit? Eulampius: Foris*  
*erat in Insula sua, & forte propter senectutem suam, vel etiam propter languorem*  
*abdicavit. Basilus: Miserit quemquam ad Imperatorem, qui diceret, velle se Dignitatem*  
*relinquere, & peteret mitti sibi virum, per quem abdicationem transmitteret.*



Sæculum IX.

A. C. 869.

Marinus Legatus Romanus dixit: *Quis est iste, qui in conspectu Majestatis tuæ adstat & loquitur?* Imperator: *Est Eulampius.* Tres Legati dixerunt: *Is depositus est & anathematizatus ab Ecclesia Romana, & quomodo coram te, Domine, talia ausus est proferre? nos cum deposito & anathematizato non loquimur, nec pati possumus, ut tu loquaris. Volumus autem, ut prælegatur illis Libellus Ecclesie Romanæ, & sic ad communionem laicam, si sincera ducantur pœnitentia, admittantur. Si vero in malo proposito persistant & occludant aures suas, iudicium ab Ecclesia Romana, Indictione undecima, nempe anno octingentesimo sexagesimo tertio contra Photium & Fautores ejus pronunciatum retractare nequimus. Non habemus, quod eis respondeamus, nisi a nobis esse anathematizatos & ab omnium Christianorum sorte separatos.* His sub-

*Sup. lib. I. §. 26.* junxerunt Romani: *Quinam ex vobis a Sanctissimo Patriarcha Ignatio ordinati sunt?* Cum prodirent tres Episcopi Legati Romani quæsierunt, an Concilii iudicio se subjicerent, & Libello Romano subscribere vellent. Illi responderunt: *Abfit! Deus non vult. Sed, si jusserit Imperator noster, omnia, quæ acta sunt, dicemus.* Reponentibus Romanis: *Si vocem Concilii audire non vultis, ite ad patres vestros, illi ad alterum latus se contulerunt.*

§.XXXVI.

## §. XXXVI.

Sæculum IX.

A. C. 869.

*Responsa ad ea, quæ Photius obiebat.*

**M**etrophanes Metropolita Smyrnenfis ad Zachariam Calcedonensem dixit: *Ad ea, quæ dixisti, respondemus tibi. Leges tam Ecclesiasticæ quam Civiles sanciunt, ut qui Judicem elegerit, illius sententiæ se simpliciter subjiciat. Cum vos igitur Beatissimum Papam Nicolaum Judicem petieritis, quis jam vos ferat de ejus sententiâ querentes, & dicentes, quod legibus canonicis adversetur? si istud liceat, nullum unquam judicium erit firmum; nemo enim sententiam laudat, qua condemnatur.*

*Cum vero exempla Nectarii, Ambrosii, & Nicephori iterum recoquas & dissimiles audivisse argumenta, quibus ea Nicolaus Papa refutavit, iterum tuo bono explicabimus, quantum inter se distent illa exempla & ordinatio Photii. Nectarius electus & ordinatus est Archiepiscopus Constantinopolitanus in Concilio universali præsentibus pluribus Patriarchis, cum eos Imperator ad eum eligendum nullo modo cogeret, & nullus Archiepiscopus luce fruens propter Nectarium e Sede Constantinopolitana innocens pelleretur. Ambrosius ordinatus est Episcopus Mediolanensis, mortuo Auxentio Ariano, in Con-*

*Sup. lib. XVIII. §. 5.*  
*Sup. lib. XVIII. §. 21.*

Bb 2

cilio

Sæculum IX. *cilio Episcoporum Catholicorum, nullo sa-*  
 A. C. 869. *culari Principe eos ad hoc faciendum im-*  
*pellente. Tarasius testimonio Pauli, An-*  
*tecessoris sui, & omnium Catholicorum*  
*suffultus, nemine vim inferente, electus*  
*est. Pari modo, Tarasio fatis functo, Ni-*  
*cephorus ab Episcopis congregatis liberri-*  
*me electus & consecratus est. Nihil omni-*  
*no tale invenitur in Photio, vivente Epi-*  
*scopto legitimo intruso, ab Episcopis aucto-*  
*ritate Casarea oppressis ordinato, & a*  
*nulla Cathedra Patriarchali recepto. De-*  
*nique aliqua exempla peculiaris Regulam*  
*universalem non subvertunt. (\*)*

*Dixisti, multos, quos Ecclesia Romana*  
*absolvit, damnatos, & multos, quos damna-*  
*vit, absolutos haberi. Falsum est hoc, &*  
*procul a veritate. Julius Papa & Syno-*  
*odus Sardicensis Marcellum omnes Hærese,*  
 Sup. l. XII. *& præcipue illam, quam tenere dicebatur,*  
 §. 25. 35. *ant-*

(\*) Hæc refutare oportuisset Caveum, qui in  
 Articulis de Ignatio & Photio, omnia quæ Pho-  
 tio favere videntur memorat, quæ adversantur,  
 premit silentio. In Ignatio, dicit: *Sententiam*  
*suam (nempe contra Gregorium Syracusanum)*  
*a Leone & Benedicto Romanis Pontificibus*  
*confirmari frustra postulavit. Eundem vero*  
*Gregorium a Nicolao Papa & Hadriano damna-*  
*tum & anathematizatum retinet. Fleurius econ-*  
*tra, quæcunque Photiani ad defendendam ma-*  
*lam causam attulerunt, sincere refert.*

anathematizantem iuste & canonice rece-  
perunt. Magnus Athanasius & Confessor  
Paulus, illa celeberrima Ecclesiae fulcra,  
pariter Marcellum receperunt, & cum eo

Sæculum IX.  
A. C. 869.  
Photiani  
refutantur.

communicarunt. Sed tandem ad proprium  
vomitum reversum & Hæreticum depre-  
sum Silvanus & Liberius Julii Successor  
anathematizarunt. Apiarium Presbyte-  
rum ab Urbano Episcopo suo excommuni-  
catum, & deinde in Concilio depositum,

Sup. lib.  
XXIV.  
§. 6. II.

Zosimus Papa, ad quem appellavit, inno-  
centem pronuntiavit, & ad Concilium  
Africae remisit restituendum. Concilium  
vero de iis, quæ in causa Apiarii acta fue-  
rant, rationem reddidit Bonifacio Papæ

to. 2. Conc.  
p. 1671.

Zosimi Successori, qui Apiarii Interdi-  
ctum ad solam Ecclesiam Synicensem, in  
qua scandali occasionem posuerat, restrin-  
xit. Itaque Concilium Africae Decreto  
Zosimi Papæ paruit, non vero, quod tu  
conspingis, obstitit.

Flavianum Patriarcham Antiochenum  
Ecclesia Romana ad tempus repulit volens  
favere Eustathio, & Paulinum Eustathia-  
norum Principem in illa Sede stabilire.  
Sed Romani in illa sententia non perstite-  
runt, & intercedente Theodosio Impera-  
tore tandem Flavianum, Patriarcham  
Antiochenum, receperunt. Dicere, quod

Sup. lib.  
XVIII. §. 3.  
XIX. §. 27.  
50.

Mongus Alexandrinus, & Acacius Con-  
stantinopolitanus depositi fuerint, nequa-  
quam vero illi, qui ab utroque manuum

Sæculum IX. *impositionem acceperunt, nihil confert ad*  
A. C. 869. *causam vestram. Nam aliud decernunt*  
*Canones de Hæreticis conversis, & aliud*  
*de illis, qui ab Usurpatoribus ordinati fue-*  
*runt. Quippe jubent, recipi illos, qui*  
*Hæresim abjiciunt. Ita etiam Concilium*  
*Orientis, & Felix Papa Simplicii Succes-*  
*sor Petrum Mongum damnatum, simplici-*  
*ter deposuerunt, & Felix deposuit Aca-*  
*cium, sed illos, quos Petrus & Acacius or-*  
*dinarunt, non damnarunt. Econtra Ca-*  
*nones nullatenus illos recipiunt, qui ita*  
*sicut Photius tuus, & tu ipse ordinati*  
*estis, atque hoc ipsum Synodus secunda*  
*Oecumenica de Maximo Cynico, & omni-*  
*bus illis, quibus ipse manus imposuerat,*  
*decrevit. Gregorius autem Syracusanus,*  
*qui Photium ordinavit, non modo tanquam*  
*Schismaticus, sed etiam multorum crimi-*  
*num convictus, depositus fuit. Bene affir-*  
*masti, ceteros Episcopos, cum ipso manus*  
*imponentes, tanti criminis non esse reos,*  
*quia vim passi sunt. At Photius jam*  
*prius fuit Schismaticus, & a Gregorio*  
*ordinari voluit libere, nemine cogente,*  
*quibusdam Episcopis præsentibus frustra*  
*reclamantibus.*

Cum Zacharias vellet quidquam re-  
 ponere, Legati Pontificis ad Imperato-  
 rem, nihil omnino profuturum, dixe-  
 runt, si ulterius de re judicata pugnan-  
 tes audirentur. Tuncque Constantinus

a Se.

a Secretis ambonem conscendens prolixum & nomine Imperatoris concinnatum sermonem legit, quo Schismatici ad concordiam invitabantur. Summa orationis fuit hujusmodi: *Scrutamini intima conscientiae vestrae, & invenietis male ab Ecclesia vos esse disjunctos. Novissima hora est, fratres mei, & prope est Judex. Absit, ut ab ejus Ecclesia separati a morte occupemur! nullatenus turpe ducamus, vulnus nostrum ostendere, atque remedium quaerere. Si autem haec fateri vos pudeat, ego, Imperator, humilitatis forma vobis efficiar. Ego qui imperitus & insipiens sum, sanam vobis doctrinam tradam, viris doctis & in virtutis palaestra exercitatis. Primus me super pavimentum projicio, purpuram & diadema parvi pendens. Ascendite super scapulas meas, calcate verticem & oculos. Nihil borreo, patiar omnia, si modo pacem Ecclesiae videam, & salvem animam meam. Quid est, quod facere potui, & non feci? vos de cetero videbitis; ego innocens sum a perditione vestra. Deponite igitur contentionem, Fratres, spiritum concordiae & charitatis induite, in viam magis securam redite, & capiti jungimini. Nihil ob secularia sitis solliciti; nam consolabimur vos, & quae opportuna sunt faciemus. Tota auctoritate nostra apud Patriarchas vestros intercedemus, ut*

Bb 4

indul-

Saeculum IX.  
A. C. 869.

p. 1059.  
p. 1057.

Oratio Caesaris.

Sæculum IX. *indulgentiam concedant, & benigne habenti.* A. C. 869. *Tantum non obstinate in præceptum vos ipsos conjicite, sed favente occasione utimini. Nolite aliud tempus & vicissitudines expectare, quæ etsi contigerint, nihil vobis conferent. (\*)*

Legati Pontificis, & Orientis, approbati omnibus, quæ Imperatoris nomine pronunciata erant, lenitatem ipsius, comparatam crudelitati, qua Photius adversarios suos fuerat persecutus, dilaudarunt. Tum iterum Imperator ad Schismati-

(\*) Ex hac Oratione Eminentissimus Baronius etiam verba sequentia excerpit: *At si & thronum aliquando Constantinopolitanum illi, qui cuncta violat, vobis commiserit &c.* Edit. Colon. ad ann. 869. Et addit: *Hic velim, antequam ulterius progrediamur, Lector, observare & memoriæ mandes, quod ait Imperator non nisi per eum qui cuncta violat, prævum intelligens Dæmonem, accidere posse, ut Photius iterum Constantinopolitanum thronum accipiat, ut cum id factum suo loco cognoveris, operatorem intelligas.* Et infra: *Hæc ab Imperatore futura nesciente propheticè esse dicta declarantur eventa.* In Actis autem Conc. Edit. Paris. ita legitur: *At etsi Thronum aliquando Constantinopolitanum cuncta destruens tempus vobis commiserit . . . quis vos sequetur?* Nunc, quidquid de lectionum varietate sit, opportunissime profecto Cardinalis hanc reflexionem inseruit.

maticos; septem dierum spatium ad de-  
 liberandum se ipsis concedere, quibus  
 præterlapsis nisi se subjicerent, Patres  
 Concilii sententiam pronunciaturus.  
 His, inter solitas acclamationes disces-  
 sum.

## §. XXXVII.

*Photius & Gregorius in Concilio.  
 Sessio Septima.*

Sessio septima elapso quatruiduo, nempe <sup>29. Octobr.</sup>  
 vigesima nono Octobris celebrata,  
 Imperatore præsentem. Quo etiam ju- <sup>p. 1061.</sup>  
 bente, Bahanes Patricius ad Legatos  
 Romanos dixit: *Induciis Photio datis  
 jam completis, duximus eum iterum ad  
 Sanctam & universalem Synodum. Si ita  
 jubetis, introducetur.* Nempe dies de-  
 cem a quinta Sessione, ubi fuerat intro-  
 ductus, numerabantur. Legati dixe-  
 runt: *introducatur.* Intrat Photius sci-  
 pione innixus, comitante Gregorio Sy-  
 racusano. Marinus Legatus Pontificis  
 dixit: *Auferte de manu ejus scipionem,  
 Dignitatis Pastoralis signum! non habeat in  
 manibus baculum, quia lupus est, non pastor.*  
 Aufertur itaque ei baculus; Legati autem  
 Romani dixerunt: *Interrogate illum, an  
 deliberaverit, & libellum scribere velit.*  
 Tum Bahane interrogante respondit Pho-  
 tius: *Rogamus Deum Gregorius & ego,  
 ut per multos annos conservet vitam Im-*



Sæculum IX. *peratoris, cui de omnibus, non vero La-*  
A. C. 869. *gatis, rationem reddemus. Bahanes di-*  
*xit: Nihil aliud affertis? Photius: Si*  
*isti morem gessissent dictis nostris, quæ nu-*  
*per attulimus, bodie non ita interroga-*  
*rent. Si vero eos iudicii sui jam pæn-*  
*tentia subiit, eam operibus ostendant. Ba-*  
*hanes: Quam tu pænitentiam? Grego-*  
*rius: Agant ipsi pænitentiam de peccato,*  
*quod admiserunt. (\*)*

Cum Bahanes hunc sermonem Lega-  
tis retulisset, illi per interpretem, nam  
græcæ linguæ ignari erant, nos non con-  
venimus, ut accipiamus ab ipsis vel incre-  
pationem vel pænitentiam, sed ipsi a no-  
bis hanc debent accipere. Talia non sine  
Ecclesiæ ludibrio loquuntur. Nihil aliud  
interrogamus, nisi an velint libello Roma-  
no subscribere. Scimus, quod a pedibus  
usque ad caput vulnerati sint propriis ini-  
quitatibus. Nolumus aliud respondere.  
Eadem ferme responderunt Legati Orien-  
tis, & Photius iterum a Bahane interro-  
gatus dixit; nihil se habere, quod ad ca-  
lumnias responderet.

§. XXXVIII.

*Alii Schismatici coram Concilio.*  
Episcopis deinde Photianæ factionis in-  
troductis Legati Papæ dixerunt: In  
pra-

(\*) Summa certe fuit illa ætate Disciplina  
Eccle-

*præcedenti Actione admonuimus eos ut scriberent Libellum satisfactionis, quo eos in communionem tanquam sæculares recipere-  
 mus. Singulos interrogate, an scribere velint. Aliud ab ipsis audire nolumus. Tum, Bahane interrogante, an facit aliquis vestrum libellum? Episcopi Photiani responderunt; absit! Amphilo-  
 chus & Zacharias, duo Photiani dixerunt: Qualem libellum facere jubemur? fidei nostræ? Bahanes ad Legatos: Qualem libellum expetitis ab eis? Qui dixerunt: Quem Roma attulimus, ut Photium rejiciant, & acta ejus, ut Gregorium Syracusanum anathematizent & Ignatio subjiciantur, tandem, ut quæ Ecclesia Romana decrevit, omnia impleant. Joannes Episcopus Heracleensis respondit: Qui hunc Episcopum (simul Photium extensa manu monstrabat) anathematizat, anathema sit! Zacharias Calcedonensis addidit: Nos iis, quæ sanæ rationi ad-  
 versantur, parere nec possumus nec volumus. Novimus, quomodo res se habuerit. Euschemo Cæsariensis olim in Cappadocia dixit: Ego iis, quæ contra rationem & Canones pugnant, non consentio. Roma aliquis aut Jerosolyma, aut Angelus de Cælo veniat, non obsequor.*

Tum

---

Ecclesiasticæ lenitas, & Imperatoris in hoc Concilio præsentis patientia.

Sæculum IX.

A. C. 869.

Tum Bahanes, consentientibus Legatis, ad Photium & Photianos Episcopos nomine Imperatoris locutus est in hunc modum: *Dicite, amici, unde estis? de Cælo, de abyſſo, aut de terra, in qua degimus? ostendite nobis hac hora, quotiescunque Hæresis nata est, vel Schisma emerſit, quemquam Christianorum sententia quatuor Patriarcharum refragantem, aliquando saluum fuisse? Hodie vero quatuor Sedes Patriarchales, imo quinque damnant vos; quid vobis ad hæc videtur? estne aliquis, qui adjuvet vos? edicite.* Episcopi Photii dixerunt: *Habemus Canones Apostolorum & Conciliorum.* Bahanes: *Ubi vero posuit Dominus Canones? nonne in Ecclesiis suis? ubi Ecclesia ista sunt? ubi Evangelium prædicatur? (\*) nonne in illis locis, unde hi Legati advenrunt? an dantur aliæ? edicite.* Episcopi Photii, conversi ad Imperatorem, sibi per os Bahanis loquentem, dixerunt: *Deus custodiat sanctissimum Imperium tuum! petivimus promissum impunitatis,*  
quo

(\*) Id ipsum, quod in hoc loco Basilii Imperator Græculis quibusdam Schismaticis objicit, contra quoscunque adversus Romanam Ecclesiam Protestantes argumentum est indissolubile. Edicant enim, qua auctoritate Lutherus, postquam a Romana Ecclesia defecit, Evangelium explicaverit, publica vel privata? si publica, nominent illam

quo causam nostram libere exponeremus, Sæculum IX.  
 & non accepimus; quomodo ergo loqui A. C. 869.  
 possumus?

Bahanes dixit: *Imperator non prohibet, sed consentit & vult, ut loquamini. Sed Judices audire vos nolunt, quia nihil affertis nisi convicia.* Photiani: *Nos eos Judices nostros non agnoscimus.* Bahanes: *An Canones rejiciunt Patriarcharum Legatos? an eorum judicia rationi adversantur?* Amphilochus: *Adversantur maxime.* Bahanes: *An contra Canones & mentem Patriarcharum suorum judicant?* Photiani: *Ita est.* Bahanes: *Ite ergo ad Patriarchas, ut de hac re certiores efficiamini.* Addidit ipse Imperator: *Quotquot dicitis, hos Legatos a Patriarchis fuisse missos, eorumque litteras commendatitias habuisse, & de hac re non ambigitis, recipite eos, ipsorumque judicia, quotquot autem de hac re dubitatis eosque habebitis suspectos, ite ad Patriarchas, interrogate, & alios Legatos adducite.* Photiani: *Hic examinetur causa.*

Postea

illam Ecclesiam, a qua auctoritatem Romanæ Doctrinæ contraria docendi acceperit, si privata, majore auctoritate quam Arius, vel quicumque alius superiorum sæculorum hæreticus non gaudebat. Hinc etiam Græculi nostri ad hoc Bahanis argumentum in Concilio Oecumenico nihil, quod ad rem esset, respondere poterunt.

Sæculum IX. Postea jubentibus Papæ Legatis lecta  
A. C. 869. est ampla epistola Nicolai Papæ ad Ori-

Sup. lib. L.

§. 53.

Sup. 6. 19.  
26.

Sup. §. 19.  
p. 1096.

tales anno octingentesimo sexagesimo sexto data, continens Decreta Concilii Romæ anno octingentesimo sexagesimo tertio celebrati. Item prima epistola Hadriani Papæ ad Basilium Imperatorem prima Aug. anno octingentesimo sexagesimo octavo data, atque etiam illa, quam eodem tempore ad Ignatium Patriarcham dederat. Præterea lectæ sunt secundæ epistolæ Hadriani ad Basilium & Ignatium decima Junii anno octingentesimo sexagesimo nono datæ, jam prius in Concilio recitatæ. Tum nomine Legatorum lecta est ultima admonitio ad Photium & ejus Fautores directæ, qua ad obediendum sub pœna anathematis excitabantur. Nomine Ignatii quoque lectus est sermo, in quo pro sua restitutione & Ecclesiæ pace gratias dicebat. His peractis complures anathematismi in Photium pronunciati. Usurpator, Schismaticus, Falsarius appellabatur. Gregorio quoque Syracusano, Eulampio, & ceteris omnibus Photii Sectatoribus anathema dictum. Quibus egressis solito ritu acclamando finis Sessioni impositus. (\*)

§. XXXIX.

(\*) In Actis Conc. leguntur: Versus Jambici apud Græcos pro acclamatione Concilii,  
Pho-

§. XXXIX.

Sæculum IX.  
A. C. 869.*Sessio VIII. Libelli combusti.*

Sessio octava die quinta Novembris habita. Bahanes nomine Imperatoris etiamnum præsentis dixit: *Quorumdam* <sup>5. Novemb.</sup> *versutia & malitia effectum, ut novissimis annis Episcopi, Senatus, & tota civitas mala causæ subscriberent inviti, & mendaciis decepti. Hodie vero volumus, ut hi libelli manibus vestris igni tradantur, speramusque in Dei misericordia & vestris precibus, hujus delicti veniam impetraturos, qui decipi se sustinuerunt. Legati & tota Synodus, quod præcipiente Imperatore proponebatur, maximus gratias agentes approbarunt. Tunc Imperatore jubente in medio Synodi vas æneum igne plenum ponitur, & Theophylactus Diaconus ac Referendarius Pa-*

Photius qui pridem insuperabilem petram  
 Fraudibus malignis conturbavit insipienter,  
 Pellitur nunc ut atrocissima fera  
 A thalamo casto & venerabilibus templis,  
 Satanae pessimo, miserrimisque tenebris  
 Bene præmissus, & passus digne  
 A Judicibus recte sentientibus atque Sanctis,  
 Beatissimo videlicet Nicolao,  
 Hadrianoque Divino Papa Romano,  
 Et Ignatio Martyrium passo,  
 Et tribus reliquis Sedibus Orientis  
 Orthodoxis & sapientibus valde,

Sæculum IX. Patriarchæ Constantinopolitani affert  
A. C. 869. omnes subscriptos libellos, quos Photius  
 ab omni Clericorum ordine tam majoris  
 Ecclesiæ quam ceterarum, ab hominibus  
 laicis omnis conditionis, tam illustribus  
 quam ignobilibus, a pellariis, a ven-  
 dentibus pisces, lignariis, & acus facien-  
 tibus, extorserat. Libri quoque contra  
 beatissimum Nicolaum Papam maligne  
 procusi, & Acta Conciliorum contra Igna-  
 tium inferuntur. Hos omnes Georgius  
 Orphanotrophus accipiens, tradidit Le-  
 gatorum servulis, qui cunctos in ignem  
 conjecerunt, ubi consumpti sunt.

Inde Imperator ad Legatos Roma-  
 nos: *Jussimus adduci falsos Vicarios, quos  
 Photius contra Nicolaum Papam protu-  
 lit; quid fieri vultis?* Legati dixerunt:  
*Ingrediantur Sanctam Synodum.* Et in-  
 trantibus illis Bahanes Patricius interro-  
 gavit aliquem ex iis Monachum nomine  
 Petrum: *Quis es, unde te habemus, quid  
 egisti? an Concilio a Photio contra Nico-  
 laum Papam habito interfuisti?* Respon-  
 dit Petrus: *Non interfui, & libellum non  
 novi. Etenim nunquid præter me nemo  
 unquam Roma Constantinopolim venit?  
 sexcenti alii Petri nomen gerunt. Sed  
 legatur hic libellus meus, & quæ ad me  
 pertinent, discetis.* Lectus est; atque  
 summa hæc erat: *Quoniam non nulli ex  
 vobis opinati sunt, me contra Ecclesiam  
 Roma-*

Romanam Libellum obtulisse, quia in lit-  
 teris publice editis de me mentio facta est, A. C. 869.  
 iterum profiteor, sicut jam ante professus  
 sum, nullum a me libellum fuisse oblatum,  
 nec me Imperatoris aures fatigasse, nec  
 etiam Concilio, si quod congregatum est,  
 interfuisse. Toties quoties interrogatus  
 fuero, id responsi dabo. Sed rogo, ut li-  
 ceat mihi ad vestigia Sanctorum Aposto-  
 lorum redire, ubi animæ meæ saluti in-  
 vigilem.

Tum Bahanes quemdam nomine Ba-  
 silius interrogans, nomen tuum, inquit,  
 in falsis Actis legitur, edic an dederis li-  
 bellum contra Ecclesiam Romanam? Basi-  
 lius: absit! Bahanes: Ergo anathema  
 dic illi, qui libellum tradidit, & illi quo-  
 que, qui scripsit. Basilius: Is qui dedit  
 libellum contra Romanam Ecclesiam ana-  
 thema sit! Bahani postea interroganti,  
 unde esset, Basilius respondit: veni ex ci-  
 vitate Sancta (nempe Jerosolyma) Baha-  
 nes interrogat Eliam, Patriarchæ Jeroso-  
 lymitani Legatum, an eum cognosceret.  
 Ita est, respondit Elias, cognosco ipsum.  
 Bahanes iterum ad Basilius conversus  
 interrogat: Cur ingressus est Constanti-  
 nopolim? quis te buc misit? Basilius:  
 Tripoli profectus Romam ivi, orandi cau-  
 sa. Ægrotavi in itinere, Venetias me  
 contuli, ut transirem, veni buc sub Papa  
 Benedicto, & versatus hic mensibus vigin-

Hist. Eccles. Tom. XII.

Cc

ti



Sæculum IX. *ti pecunia egere cæpi. Illo anno, quo*  
A.C. 869. *Ignatius de throno suo pulsus est, Romam*  
*redii sedente Nicolao Papa, & per annos*  
*octo ibi commoratus in hanc civitatem se-*  
*cundo veni. Rursus interrogatus an libel-*  
*lum tradidisset, respondit: Absit! nun-*  
*quid enim miserabilis ego Nicolai Papa*  
*familiaris fui?*

Rursus, jubente Imperatore, Bahanes  
interrogavit Leontium, falsum Vicarium  
Alexandrinum, in hunc modum: *Quo-*  
*modo inventus es Legatus Alexandrinus*  
*in libro a Photio contra Nicolaum Papam*  
*fictè composito? Leontius: Episcopus meus*  
*dedit mihi litteras ad Imperatorem; sed*  
*Legatus non sum, nec aliquid de rebus istis*  
*ad me pertinet. Bahanes ad Concilium:*  
*Quid vobis videtur de hominibus istis?*  
*ultimus sicut primus quid actum fuerit*  
*ignorare se profitetur. Sunt mercatores,*  
*non autem Patriarcharum Legati; sed*  
*Photius & sermones & personas finxit, ut*  
*lubuit. Legati Romani ad falsos Vica-*  
*rios: Scribite Libellos & anathematiza-*  
*te illos, qui falsos libellos euderunt. Sic*  
*ad Communionem recipiemini. Leontius*  
*dixit: Neque scripsi in libro hoc neque*  
*cognosco eum. Concilium dixit: ana-*  
*thematizate, qui fecit eum & conscripsit*  
*eum. Falsi Legati: Anathema sit, qui*  
*cooperatus est libro isti. Senatus dixit:*  
*Quoniam non vultis anathematizare, op-*  
*paret*

paret, quod partem in eo habeatis. Et ipsi  
 anathematizabimini, vel legibus subji-  
 ciemini. Legati Papæ dixerunt: Tra-  
 dantur nobis viri isti, & nobiscum Ro-  
 mam veniant. Tum Leontius: Ana-  
 thema libro, & viro, qui scripsit eum!  
 Basilius: Anathema illi, qui contra Ni-  
 colaum Papam libellum obtulit!

Sæculum IX.  
 A. C. 869.

Bahanes nomine Imperatoris dixit:  
 Ecce, quomodo veritas appareat, & lux  
 in tenebris luceat. Patent mendacia &  
 fraudes. Nemo causas prætexat, cur non  
 ad Ecclesiæ sinum non redeat. Crastina  
 die nulla amplius vobis erit excusatio.  
 Metropolitæ quoque interrogati, quo-  
 rum nomina subscripta in illo libro vise-  
 bantur, an ipsi manu quisque sua subscri-  
 pssent, cuncti responderunt: *absit!* er-  
 go Legati Romani Imperatorem rogant,  
 ut legi juberet Decretum Martini Papæ  
 contra falsos Vicarios, nempe vigesimum  
 & ultimum Canonem Concilii Latera-  
 nensis anno sexcentesimo quadragesimo  
 nono celebrati. Quo perlecto, surgens  
 Metrophanes Smyrnensis in laudem ve-  
 ritatis & Imperatoris, qui Veritati præ-  
 sidium parasset, brevem orationem ha-  
 buit.

Sup. lib.  
 XXXVIII.  
 §. 53.  
 to. 6. Conc.  
 p. 359.

§. XL.

*Iconoclastæ.*

Cum deinde Imperator ad Legatos Ro-  
 manos

Cc 2

manos

Sæculum IX.

A. C. 869.

p. 1105.

manos dixisset, quod Theodorum Crithinum tunc Iconoclastarum principem ad Concilium adduci iussisset, Legati eum rogarunt, ut Senatores mitteret, qui Theodorum ad offerendum conversionis suæ Libellum exhortarentur. Bahanes, aliusque Patritius nomine Leo missi hanc admonitionem scriptam ad eum deferunt, qui audita lectione nihil respondit. Tunc Bahanes, proferens Numisma cum imagine Imperatoris Basilii, *Imperator quæri ex te jubet, inquit, an hanc imaginem recipias?* Theodorus respondit: *Quamvis ego indignus sim, suscipio eam, super omnes thesauros mundi.* Bahanes addidit: *Quærit Imperator, an eam honores, vel spernas?* Theodorus: *Honoro.* Bahanes: *Hæc dicit tibi Imperator: si honoras imaginem Principis mortalis, qualis ego sum, quare non etiam honoras Imaginem Domini nostri Jesu Christi, Sanctæ Matris ejus & omnium Sanctorum?* Theodorus: *Omnes quidem homines Christianos subdit oportet tuo imperio, plus autem omnibus me indignum, quia me ex captivitate & ex morte liberasti. Sed & omnes capilli capitis mei & barbæ, si fuerint ora, & pro imperio tuo oraverint, non sufficient.* Numisma mihi misisti & suscepi illud; vis ut etiam Imaginem Jesu Christi recipiam. Dentur mihi induciæ, & postea si

*sten sum fuerit, quod hoc sit Christi præ-* Sæculum IX.  
A. C. 869.  
*ceptum, faciam, quod jusseris. Bahanes:*  
*Imperator vos accersivit congregato Con-*  
*cilio non ad disputandum, sed ad vos docen-*  
*dum. Posuit Deus Ecclesiam suam in*  
*quinque Cathedris Patriarchalibus, quæ*  
*nunquam cadent. Et si duæ caderent, ad*  
*tres reliquas esset recurrendum. Si ceci-*  
*derint tres, confugiendum ad duas stan-*  
*tes, & si ceciderint quatuor, una quæ per-*  
*manet totum corpus Ecclesiæ revocaret. (\*)*  
*Nunc autem toto terrarum orbe concor-*  
*dante non est tibi excusationis locus.*

Cc 3

Duo-

(\*) Quod hic dicitur fieri posse, posterioribus sæculis factus est. Jacent hodie inscrutabili Dei judicio ceteræ Cathedræ Patriarchales, nisi quod etiamnum Episcopi in partibus Infidelium Titulo Sedis Alexandrinæ aliarumque Ecclesiarum Patriarchalium ordinentur. Eminent vero! adhuc hodie, non sine singulari Dei providentia, Ecclesia Romana, Lucerna illa Fidei fulgidissima, quam illi videre non possunt, quorum oculis præjudicia opacam caliginem inducunt.

Quamvis vero hodie Patriarchæ in ipsis Sedibus Orientalibus non existant, innumeri tamen per universum Orientem degunt Christiani Fidem & Communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tenentes. Præ ceteris memoratu digni sunt Maronitæ montis Libani incolæ, a quodam Marone e Secta Georgianorum Hæreticorum sic dicti, sed a Reverendissimo Custode S. Sepulchri superiore

Sæculo

Sæculum IX. Duobus Patriciis in Concilium rever-  
 A. C. 869. sis lectum est Theodori responsum. Tum  
 Legati Decretum Nicolai Papæ de Ima-  
 ginibus legi jubent, nempe Canonem ul-  
 timum Concilii anno octingentesimo sex-

*Sup. lib. L.* agesimo tertio celebrati. Quo recitato  
*§. 26.* Imperator ad Legatos: *Sunt & quidam  
 alii, qui Theodori Critbini errorem tenent. Si Concilio videtur, ingrediantur, & interrogentur, an Fidem Orthodoxam amplecti velint. Elias Jerosolymitanus dixit: Difficulter ab errore revocantur, qui diu in eo perseverarunt, quod in Theodoro Critbino vidisti. Sed intrent nihilominus, quia jubes. Mox Nicetæ, Clerico, Theophilo & Theophani Laicis ingredientibus Legati Pontificis dicunt: An vos Hæresim Iconoclastarum anathematizatis, & Fidem Catholicam profi-*

Sæculo conversi, & Ecclesiæ Romanæ ejusque Capiti visibili Summo Pontifici subiecti. Habent Patriarcham, quem Archiepiscopi & Episcopi Maronitarum eligunt, & singulis triennii a Custode Jerosolymitano nomine Sacræ Sedis visitantur. Solis inter omnes Christianos Sultano Turcarum subditos proprium Principem habere licet. Dicit P. Boucher Ord. FF. Min. S. Franc. in suo itin. Si contingeret, ut olim, Regem Christianissimum exercitum per Syriam in Palæstinam ducere, Maronitas comœatu & copiis non modicam auxilium præbituros.

*profitemini?* Respondent omnes tres: *Decepti antea nequissimis sermonibus im-*  
*piorum hominum, in errore fuimus. Nunc*  
*autem videntes S. Synodi universalis con-*  
*cordiam, abjicimus Hæresim Iconoclasta-*  
*rum, & anathematizamus omnem homi-*  
*nem, quicumque Sanctas imagines non ado-*  
*rat.* Et ascendens quilibet eorum in  
 suggestum, Iconoclastarum Hæresim &  
 primores hujus Sectæ, atque etiam inter  
 ceteros Theodorum Crithinum anathe-  
 matizavit. Imperator, singulos ad se  
 vocatos osculatus, gratulatus est, quod  
 nunc demum ad Ecclesiæ gremium re-  
 gressis prodesset Christus. Legati econ-  
 tra gratias egerunt Imperatori, quod ma-  
 xima pietate hos viros ad confessionem  
 veritatis reduxisset. Lectus deinde no-  
 mine totius Synodi Anathematismus  
 contra Iconoclastas ipsorum pseudo Con-  
 ciliium & Duces eorum. Photius ite-  
 rum anathematizatus, & consueta accla-  
 matione soluta est Sessio.

## §. XLI.

*Sessio IX. Legatus Alexandrinus.*

Sessio sequens tribus integris mensibus,  
 scilicet reliquo hujus anni tempore,  
 & mense Januario anni sequentis dilata  
 est. Tandem duodecima Februarii an-  
 no octingentesimo septuagesimo Patres  
 multo quam in superioribus Sessionibus

Cc 4

frecuen-

p. 1108.

Sæculum IX. frequentiores conveniunt. Non aderat  
A. C 870. Imperator, sed primum tunc interfuit  
 Josephus Archidiaconus Alexandrinus,  
 Michaelis Patriarchæ Legatus. Baha-  
 nes Patricius Actioni huic initium dedit,  
 Legatos Romanos sic affatus: *Advenit  
 Legatus Patriarchæ Alexandrini, quod  
 procul dubio Dei voluntate factum. Quid  
 ergo Sanctitati vestræ videtur?* Legati  
 Pontificis dixerunt: *Vidimus virum, col-  
 locuti sumus, nobisque consentit. Verum-  
 tamen juxta Canonica præcepta legantur  
 in Concilio literæ ejus commendatitia, &  
 ita nobis Cathedrarum Patriarchalium  
 Legatis connumeretur.* Ergo Notarius  
 Imperatoris Epistolam Michaelis Patriar-  
 chæ Alexandrini ad Basilium Impera-  
 torem datam recitavit, cujus hæc erat  
 Summa:

*Fam diu ad Majestatem tuam literas  
 dare exoptabamus, sed metus Infidelium  
 scribere volentes prohibuit. Nunc vero,  
 Deo immortalis sint infinitæ gratiæ, etiam  
 scribendi mandatum accepimus. Quippe,  
 qui in Palæstina, Tiberiade, & Tyri im-  
 perat, misit ad nos literas, significans, se ac-  
 cepisse a te epistolam, qua rogaretur, quem-  
 quam de Sede Alexandrina cum epistolis  
 nostris mittere, & sententiam nostram de  
 lite duorum Patriarcharum Sedis Constau-  
 tinopolitanæ aperire.*

Hic

Hic Palæstinæ præfectus erat, quod Sæculum IX. superius diximus, Achmet Turca, *Tuloun* A. C. 870. filius, qui etiam Syriam & Ægyptum moderabatur. Patriarcha Michael profertur: Ergo accersivimus virum venerabilem nomine *Josepbum*, a puero in rigore vitæ monasticæ exercitatum, qui olim familiaribus nostris adscriptus ab aliquot annis iterum ad solitudinem redierat; bunc, inquam, ad te mittimus cum epistola, quæ quidem tuo obtutu indigna est. Quod spectat ad quæstionem duorum Patriarcharum; facile capis, impossibile nobis esse sententiam proferre procul distantibus, tam facti hujus adjuncta quam quæ partes adversæ pro causæ suæ tutela afferant, ignorantibus. Sed scimus, non deesse tibi Episcopos, Abbates, Clericos Monachosque doctissimos, qui Sedi Constantinopolitanæ propiores & prudentia tua adjuti, ad banc litem dirimendam magis idonei sunt. Postquam deinde historiam de duobus Episcopis Jerosolymitanis Narcisso & Alexandro retulisset, subjungit: *Sup. 1. L. §. 38.* Supplices tibi accidimus, ut viris ad te missis, & omnibus Christianis, qui ad redimendos captivos eos comitantur, faveas, quo eos, nosque, qui ipsos misimus, a suspicionem Infidelium liberes. Ceterum Deus optimus per intercessionem S. Mariæ Virginis, Sancti Marci, & omnium Sanctorum suis beneficiis te cumulet. Hic rursus ob-

C c 5 servan-



Sæculum IX. servandum, prætextum mittendi Legatos Christianos, Musulmannis subditos, fuisse redemptionem captivorum. (\*)

Hac epistola recitata, Legati Romani, tum etiam Orientales edixerunt, eam pergratam sibi fuisse, & Josephum satis se Legitimum Cathedræ Alexandrinæ Legatum demonstrasse. Tunc Senatores ad Josephum: *Pater venerande, antequam advenisses, octo Actiones fuere celebratæ, in quibus de confirmatione Ignatii Patriarchæ, de depositione Photii usurpatoris & quibusdam aliis articulis varia fuere statuta. An hæc in colloquiis percepisti, an satis tibi nota sunt?* Josephus Archidiaconus & Legatus Alexandrinus respondit: *Perquisivi omnia diligentissime, & nihil eorum, quæ acta sunt, me lætet.* Senatores: *An tibi probantur ea, quæ Legati Romani & Orientis egerunt?* Josephus: *Maxime mihi probantur, & ecce, sententiam meam scriptam in manu teneo, quam legi jubebitis, si videbitur. Ceterum adjuvante me Dei Gratia nihil dicam*

(\*) Non solus fuit hic prætextus, sed etiam alia causa, cum paulo superius dictum sit, Turcarum Præfectum Patriarchæ Alexandrino mandasse, ut quemquam de Sede Alexandrina cum epistolis suis mitteret, & sententiam suam de lite duorum Patriarcharum Sedis Constantinopolitanæ aperiret.

*dicam faciamve, nisi quod aequitati & iustitia consentaneum credidero.* Legatis Romanis postulantibus, ut ipsius sententia legeretur, surgens eam super crucem & super Evangelium posuit, quam accipiens Thomas Diaconus & Notarius in medio Concilii legit. Nihil autem aliud in ea continebatur, quam Laus Imperatoris, & omnium eorum, quæ de Schismate Constantinopolitano, & de Imaginibus in Concilio statuta fuerant, confirmatio.

## §. XLII.

*Falsi testes contra Ignatium.*

Cum Patres edixissent, placere sibi hanc Josephi Sententiam, Senatores ex Legatis quæsiverunt, quid potissimum agendum modo ipsis videretur. Et Legati Romani dixerunt: *Cognovimus, aliquos contra Ignatium Patriarcham falsa testimonia edidisse. Si forsitan aliqui ex iis adsunt, volumus, ut ingrediantur.* Tum sententia aliorum Legatorum & totius Concilii explorata, testes, qui contra Ignatium coram Legatis Rodoaldo & Zacharia steterant, introducuntur, & quia convenerat, singulos interrogari, Legati ad primum testem dixerunt: *Quod est nomen tuum?* Ille respondit: *Theodorus.* Legati: *Quod est officium tuum, quæ dignitas?* Theodorus: *Sum Protospatba-*

12. Febr.

Sæculum IX. *spatbarius*. Legati: *An sponte tua vel*  
A. C. 870. *compulsus ad Concilium venisti?* Theodorus: *Sponte mea veni.* Legati: *Qua*  
*tibi veniendi causa fuit?* Theodorus: *Propter juramentum, quod in Ecclesia*  
*Sanctorum Apostolorum edidimus.* Legatos: *De quo jurastis?* Theodorus: *De*  
*Ignatio Patriarcha.* Legati: *An libera voluntate, vel compulsus jurasti?* Theodorus: *Inventus juravi.* Cum Imperator  
*ad me dixisset: tu illa die, qua Ignatius Patriarcha creatus est, vice tua in Palatio obsequium præstabas, & ejus electionem non vidisti. Intra, & jura. Intra-  
 vi & juravi, nam electionem ejus non vidi.* Legati: *Sciebas vero, eum ab annis duodecim Patriarchali Dignitate fulgere, & cum eo tanto tempore communicabas.* Theodorus: *Sciebam, sed Imperator dicebat: tu nec Metropolita, nec Episcopus es (volebat dicere, quod ideo posset sine hæsitacione jurare)* Legati: *Quid jurans affirmasti?* Theodorus: *Affirmavi, me ipsius electionem non vidisse.* Legati: *Sciebas utique te ita jurando peccare?* Theodorus: *Sciebam. Sed, quid facerem?* Legati: *An istud peccatum cuiquam confessus es, & accepisti pænitentiam de peccato illo?* Theodorus: *Confessus sum, sed, a quo accepi epitimium, defunctus est.* Legati: *Quomodo vocabatur?* Theodorus: *Nescio. Id solum scio, quod fuerit*  
 Char-

*Chartularius, & deinde in Monachum at-* Sæculum IX.  
*tonsus, per annos quadraginta in columna* A. C. 870.  
*degerit. Legati: Fuitne Sacerdos? (\*)*  
*Theodorus: Nescio. Abbas fuit. Ego*  
*vero in hoc viro fiduciam posueram. Le-*  
*gati: An custodisti epitimia? Theodo-*  
*rus: Custodivi, Deo sint laudes! nam*  
*Christianus sum. Legati: An credis, Do-*  
*minum Ignatium in Sedem suam juste fu-*  
*isse revocatum? Theodorus: Credo; &*  
*ideo ei Deus longam vitam dedit. Lega-*  
*ti: Ergo hanc Synodum & omnia in ea*  
*statuta recipis? Theodorus: Hanc Im-*  
*perator & omnes Christiani recipiunt.*  
*Quomodo ego non recipiam? certissime re-*  
*cipio, nam Orthodoxus sum.*

Deinde Legati interrogarunt Leonem  
 Scribam in hunc modum? *Cur in banc*  
*San-*

(\*) Hic aliqua notanda occurrunt. Inprimis, necdum omnes Abbates fuisse Sacerdotes. Tum ex hoc loco videri, Christianos non nunquam peccata sua Abbatibus aut viris Sanctitate conspicuis humilitatis studio aperuisse, & pœnitentiam ex consilio sibi injunctam impleisse, at Fideles propriam reconciliationem non nisi a Sacerdotibus potuisse accipere; secus enim non fuisset ratio, cur Legati Romani quærent, an ille, cui Theodorus confessum se dicebat; fuerit Sacerdos. Tandem illa ætate adhucdum aliquos reperire fuisse, qui Stilitaram exemplum sectarentur.

Sæculum IX. *Sanctam Synodum ingressus es?* Leo:  
A. C. 870. *Nunciatum est nobis: intrate, & acci-*  
*pietis indulgentiam. Legati: De quo*  
*peccato?* Leo: *De eo, quod iuravi ad*  
*SS. Apostolos. Legati: Quid te impulit,*  
*ut illo ires?* Leo: *Imperator illius tem-*  
*poris & Cæsar. Legati: An volens vel*  
*invitus iurasti?* Leo: *Interrogarunt,*  
*an vidissem electionem Ignatii Patriarchæ.*  
*Respondi, quod non, tunc voluerunt, ut ju-*  
*rarem. Legati: Quot anni elapsi sunt,*  
*ex quo Ignatius Patriarcha consecratus*  
*est?* Leo: *Puto, sunt anni viginti qua-*  
*tuor. Legati: Antequam iurasti, com-*  
*municabas, cum Patriarcha Ignatio?* Leo:  
*Etiã communicabam. Legati: Quomo-*  
*do ergo, Frater, contra eum deinde steti-*  
*sti, & iurasti? scis quod peccatum com-*  
*miseris? an pœnitentiam egisti, & acci-*  
*pisti epitimia?* Leo: *Non accepi. Le-*  
*gati: An communicasti post hæc, an non?*  
*Leo: Non communicavi. Legati: Re-*  
*cipis Ignatium Patriarcham modo?* Leo:  
 Leo confi- *Quod totus mundus recipit & vos, etiã*  
 tens. *ego recipio. Legati: Vis accipere epiti-*  
*mia?* Leo: *Si mihi dederitis, acci-*  
*pio. Legati: Hanc Synodum recipis?*  
 Leo: *Recipio. Legati: Anathemati-*  
*zas Photium, & omnes, quos Syno-*  
*dus anathematizat?* Leo: *Quis sum*  
*ego, ut anathematizem? anathematis-*  
*mus in causa fidei fit. Photius ortho-*  
*doxus*

doxus (\*) est, cur eum anathematizem? Sæculum IX.

Legati: Opera ejus pejora sunt omni hæresi. Leo: Cum vos judicetis, pronuntiare anathema etiam extra hæresim, anathematizo omnes, quos Sancta Synodus anathematizavit.

A. C. 870.

p. IIII.

Duorum istorum finito examine, de undecim aliis, quorum plerique in Palatio Imperatoris Præfecti fuerant, quæstio habita. Hi confessi sunt, omnes se ad jurandum contra Ignatium invitos comminatione exilii, & jacturæ bonorum fuisse compulsos. Non nulli peccatum suum statim confessi pœnitentiam acceperant, alii eam acceperunt a Sacra Synodo, cui omnes se subjecerunt, & omnia a Synodo anathematizata damnarunt. Tum Senatores Bahane interprete, ad Legatos Papæ dixerunt: *Non omnes, qui contra Patriarcham jurarunt, adsunt. Aliqui mortui sunt, alii morbi vel alterius rei causa absunt. An sententiam in aliquos & non in omnes feretis?* Legati: *Præ-*

(\*) Si mota fuisset quæstio de Processione Spiritus Sancti, apparuisset, an Photius non simul etiam fuerit Hæreticus. At operæ pretium duxit Glaciff. Pagi ad annum 868. inquirere an Photius fuerit Evnuchus\*, & putat non fuisse factum & \*Fleur. l. L.  
eviratum, sed dicit: *Verum Joannes Sacellarius cum a Photio offensus fuisset, satyrice in eum invehus est, passim metaphoricè locutus.* §. 3.

Sæculum IX. *Præstolabimur absentes. Senatores: Pro-*  
A. C. 870. *pter ipsos aliud Concilium celebrari non*  
*potest. Sed absentibus indicabitur modus*  
*pœnitentiæ, quam eis jam daturi estis.*  
*Si veniant, & pedibus vestris accidunt,*  
*accipiant eam. Si autem obstinati in pec-*  
*cato perseverent, iis gravior pœnitentia,*  
*prout vobis videbitur, injungatur. Ignatius*  
*Patriarcha dixit: Necessarium est, ut*  
*figillatim examinentur; multi enim eorum*  
*sunt fabri, stabularii, equorum medici.*  
*Senatores: Si ita jubetis, in conspectum*  
*vestrum & omnium Metropolitanarum ve-*  
*nient. Consentiente Patriarcha, Pœni-*  
*tentia a Sacra Synodo falsis testibus in-*  
*juncta, & recitata est in hunc ferme mo-*  
*dum: Annis duobus extra Ecclesiam sint*  
*prostrati, deinde duobus annis auditores*  
*sint inter Catechumenos, & non commu-*  
*nient. His quatuor annis a carnibus &*  
*vino, exceptis Dominicis & Domini No-*  
*stri Festis abstineant. Tribus annis se-*  
*quentibus stent inter Fideles, & in Festis*  
*Domini Nostri solummodo communicent,*  
*a carnibus autem & vino tribus per hebdo-*  
*madam diebus Lunæ Mercurii & Sabbati*  
*abstineant. Omnes, qui hodie ad Sacram*  
*Synodum ultro non venerunt, excommu-*  
*nicati sint, usque dum pœnitentiæ collum*  
*submittant. Tunc monentibus Senato-*  
*ribus, longum admodum pœnitentiæ*  
*tempus fuisse statutum, & petentibus,*  
 uſ

ut Ignatio Patriarchæ aliquid detrahere Sæculum IX,  
liceret, id Synodus concessit, & potesta- A. C. 870.  
tem Ignatio tribuit, qua secundum gra-  
vitatem delicti vel pœnitentium fervo-  
rem pœnitentiæ rigorem auget vel re-  
laxaret.

## §. XLIII.

*Sanctæ Cæremonice Ludibrio  
habitæ.*

Bahanes ad Legatos Romanos: *Habe-  
tis aliud quidquam, quod tractetis?  
nam hora præterit.* Legati Papæ di-  
xerunt: *Postquam in banc civitatem ad-  
venimus, viri fide digni novum omnino  
impietatis genus ad nos detulerunt. Ni-  
mirum Laicos Pallium Pontificale gestas-  
se, & ea, quæ sunt Sacerdotum ludicre  
exhibuisse.* Senatores dixerunt: *Faci-  
te, quod videtur vobis; nam cognoscimus,  
æquum esse, quod petitis.* Ergo ingredi  
jubentur, tantæ impietatis rei, Marinus,  
Basilus & Georgius Spatharii. Legatis  
Romanis quærentibus, cur in sanctam  
Synodum ingressi essent, & quid habe-  
rent, quod indicarent, Marinus & duo  
alii responderunt: *Ludum faciebat Mi-  
chael Imperator, imponens nobis Stolum  
Pontificalem, & non solum nobis, sed &  
aliis pluribus Spathariis.* Legati: *An  
vos insanienti morem gerebatis?* Mari-  
nus: *Faciebamus, quod jubebamur.* Le-  
gati:

p. 1120.

Sup. Lib.

XLIX.

S. 17.

Hist. Eccles. Tom. XII.

Dd

gati:



Sæculum IX. A. C. 870. Legati: *An posuerunt super capita vestra  
 sancta Evangelia?* Marinus: *Omnino posuerunt.* Legati: *An aliquis super vos  
 Orationem pronuntiabat?* Marinus: *Hoc etiam.* Legati: *Quis pronuntiabat?* Ma-  
 rinus: *Theophitus Protospatharius.* Legati: *Vivit, an mortuus est?* Marinus:  
*Mortuus est.* Legati: *Sciebatis utique, vos malum facere?* Marinus: *Sed quid  
 poteramus adversus Imperatorem dicere nos Laici uxoribus & liberis onerati?*  
 Legati: *Quid, si vobis præcepisset Idolum adorare? An Imperatori obsecuti  
 fuissetis?* Marinus: *Absit!* Legati: *Quis vos a prima ætate ad Ecclesiam adduxit?  
 quis vos baptizavit, Presbyter an sæcularis?* Marinus: *Presbyter.* Legati: *Cur  
 ergo terribilia Mystera depravastis, res sacras profanastis, & ridiculum fecistis  
 Sacerdotium?* Marinus: *Diximus jam, nempe illis diebus, quidquid jubebat Im-  
 perator, faciebamus. Repugnare enim idem fuisset, ac in mortem ruere. Qui-  
 dam ex nobis reluctantes, cæsi sunt.* Legati: *Plus vobis profuisset omnia pati,  
 quam veritatem prode.* Marinus: *Homines sumus infirma carne, nec mortem  
 tolerassemus. Verumtamen contentes sanctissimo Domino Patriarchæ Ignatio  
 Epitimum accepimus. Interrogetur.* Legati: *An custoditis epitimia?* Mari-  
 nus: *Custodimus. Quod Deus scit.* Legati:

gati: *Quando ludicre procedebatis, Sa-* Sæculum IX.  
A. C. 870.  
*cerdotium impie ludificantes, an vos Pho-*  
*tius conspiciebat?* Marinus: *Nescimus,*  
*an nostra spectaverit ludibria, sed, testis*  
*sit nobis Deus! neminem hæc latuisse.*  
 Legati: *Quot eratis?* Marinus: *Multi*  
*eram.* Scimus, *reposuerunt Legati:*  
*hinc omnes tam præsentibus quam absen-*  
*tes pœnitentiam vobis a S. Synodo injun-*  
*ctam recipietis, qua factorum impiorum*  
*veniam consequamini.* Tum lectum est  
 Decretum, quo injungenda eis pœni-  
 tentia in alium conventum differebatur,  
 cum illam uniuscujusque culpæ con-  
 gruam esse oporteret, quia fragilitate,  
 & metu hominum impulsæ ceciderant.

§. XLIV.

*Quæstio de falsis Legatis ex*  
*Oriente.*

Hoc negotio terminato Legati Roma-  
 ni dixerunt: *Volumus, ut falsi Le-*  
*gati, a Photio contra Nicolaum Papam*  
*producti, ingrediantur, quo etiam Frater*  
*Noster Legatus Alexandrinus Photii*  
*versutiam & fraudes cognoscat.* Tum  
 intrare jubentur Leo, qui in Sessione o-  
 ctava adfuerat, & duo alii Gregorius  
 & Sergius. His ingressis, Bahanes di-  
 xit: *Quis ex vobis ille est, quem Photius*  
*confinxit Vicarium Alexandrinum* Leo:

p. 112L

D d 2

acce-

Sæculum IX. accedens dixit: *Ego sum.* Josephus  
 A. C. 870. Vicarius Alexandrinus dixit: Unde, &  
quis es tu? Leo: *Græcus sum genere,*  
*& captivus pervexi Alexandriam.* Jo-  
 sephus: *A quo emptus es?* Leo: *A Mi-*  
*chaele Patriarcha.* Josephus: *Ubi est*  
*Domus Patriarchæ?* Leo: *Intus ad Ec-*  
*clesiam S. Dei Genetricis in illa parte,*  
*quæ Eulogii est.* Josephus: *Quomodo*  
*buc Constantinopolim venisti?* Leo: *Ca-*  
*ptivus eram. Ipse me liberum fecit, &*  
*veni buc ad colligendas eleemosynas.* Jo-  
 sephus: *Misit te Patriarcha tanquam*  
*suum Vicarium?* Leo: *Dixi, non ipse*  
*me misit, sed ego buc usque ad accipien-*  
*dam benedictionem veni. Propterea autem*  
*misit me Romam cum mandatis; quid-*  
*quid dicerent Metropolitæ, quos illic*  
*mittebat, facerem. Ego vero, Deus no-*  
*vit, sicut pecus, nihil sciens, obsecutus*  
*sum. Concilium dixit: Hic peccatum*  
*suum confitetur; unde non egemus testi-*  
*bus. Sæpius postea interrogatus, Leo*  
*nihil aliud protulit, quam quod prius in*  
*Sessione octava responderat. Unde*  
*etiam Senatores edixerunt, ideo tantum*  
*secundo fuisse accersitum, ut eum legi-*  
*timus Legatus Sedis Alexandrinæ vide-*  
*ret, & impostorem cognosceret.*

Exinde Legati Romani dixerunt:  
*Qui sunt hi duo in conspectu nostro stan-*  
*tes? Senatores: Sunt falsi Legati.* Le-  
 gati

gati Romani: *Eos nunquam antea vidi-* Sæculum IX.  
*mus. Accedant, & interrogentur.* Mox, A. C. 870.  
 quærentibus Legatis, qui essent, & cur  
 venissent, Georgius dixit: *Ego literas*  
*mibi commissas huc attuli, nullum præ-*  
*terea officium, nulla Dignitas mihi fuit.*  
 Legati: *Unde attulisti literas?* Geor-  
 gius: *A Constantino Ecclesiæ Antioche-*  
*næ æconomo. Is me ad Photium & Im-*  
*peratorem Michaellem misit, ut eleemo-*  
*synas colligerem.* Legati: *An subscri-*  
*pisti Libello a Photio contra Nicolaum Pa-*  
*pam fabricato?* Georgius: *Absit!* Le-  
 gati: *Quid ergo tibi causæ fuit Romam* Falsus Lega-  
*proficiscendi?* Georgius: *Candide fateor,* tus Antio-  
*nescio cur Romam iverim.* Legati: chenus.  
*Quam Fidem tenetis?* Georgius & cete-  
 ri: *Credimus, quod credit Ecclesia, &*  
*Christiani.* Legati: *An recipitis hanc*  
*Synodum?* Georgius: *Sicut omnes Chri-*  
*stiani recipiunt, recipimus & nos.* Le-  
 gati: *Nunc de vobis solis sermo sit. Quo-*  
*modo eam recipitis?* Georgius: *Dixi-*  
*mus, quod eam recipiamus.* Legati: *An*  
*illos anathematizatis, quos Sancta Syno-*  
*dus anathematizat?* Georgius: *Qui su-*  
*mus nos, ut anathematizemus?* Legati:  
*Quare Romam profecti estis cum libro*  
*nefandi Concilii?* Georgius, & qui cum  
 ipso erant: *Ivimus invitati & coacti. Pho-*  
*tius enim nobis dixit: Sunt Romæ, qui*  
*Nicolaum Papam oblati variis articulis*

Sæculum IX. A. C. 870. *accusarunt; ite & inquirete, an ea, quæ  
contra ipsum afferuntur, vera sint. Nos  
vero diximus ei: Homines rustici sumus.  
Si pervenerimus Romam, quam dabimus  
rationem? & ille dixit nobis: Episcopi  
vos docebunt, quid dicere debeatis. Le-  
gati: Vos homines peregrinos & Episto-  
larum gerulos oportebat responsorias acci-  
pere & ad propria reverti. Verum-  
tamen, anathematizatis Concilium, quod  
Romam ferebatis? Georgius: Anathe-  
ma ei, qui istud Concilium fecit, & qui  
consensit, & qui defendit. Legati: An  
Nicolaum Papam & Ignatium Patriar-  
cham recipitis? Georgius: Recipimus,  
sicut eos Sancta hæc Synodus recipit.  
Qui enim sumus nos, ut refragemur San-  
ctæ Universalis Synodo, cui omnes Pa-  
triarchæ per Vicarios suos intersunt?*

*Matth. 10.*

*Legati Romani dixerunt ad Lega-  
tum Alexandrinum: Ecce, Carissime  
Frater noster, jam ipse cognovisti Photii  
nequitiam & versutiam. Homines vero  
istos, cum pauperes sint & peregrini, ve-  
nia dignos judicamus propter vim, quam  
tulisse se confitentur. Sed Gratias ago-  
mus Jesu Christo dicenti: Nihil est oc-  
pertum, quod non revelabitur. Elias Le-  
gatus Jerosolymitanus dixit: Magnas  
Jesu Christo gratias debemus, quia post  
tot tempora omnes Patriarchas ad glo-  
riam suam & salutem Ecclesiæ suæ in u-*

num collegit. Tum, multos annos Imperatoribus & Patriarchis acclamando, Sæculum IX. A. C. 870.  
Sessio soluta.

## §. XLV.

*Sessio decima. Canones.*

Sessio decima & postrema die Martis, vigesima octava & ultima ejusdem mensis Febr. celebrata. Cui Basilius Imperator cum Constantino filio & viginti viris Patricia Dignitate conspicuis interfuit. Tum nominantur tres Legati Ludovici Imperatoris Italorum & Francorum, videlicet, Anastasius Ecclesiæ Romanæ Bibliothecarius, alius ab illo, qui damnatus fuerat, (\*) Suppopsimus Imperatricis Ingelbergæ Consobrinus & Domui Cæsareæ præfectus, & Evrardus mensæ Imperatoris præfectus. Ceterum Legationis adornatæ, duæ fuere causæ, primo enim in mandatis habebant Legati, ut a Basilio Imperatore contra Saracenos Italiam infestantes auxilium peterent, tum etiam, ut nuptias inter Ludovici Imperatoris filiam, & Basili filium conciliarent. Hæc Summo Pontifice conscio & consentiente agebantur. Post Legatos Francorum in Concilii Actis visuntur nomina Legatorum Bulgariæ Principis, & deinde Episcoporum, qui erant numero centum.

D d 4 Baha-

(\*) Id extra omne dubium non est.

Sæculum IX. Bahane Patricio a Legatis quærente,  
A.C. 870. quid illa die agendum esset, dixerunt,  
 legendos imprimis esse Canones, a Con-  
 cilio postea confirmandos. Eos igitur  
 Stephanus Diaconus in superiore parte  
 Concilii, & Thomas Diaconus in parte  
 inferiore legere cœperunt.

Sunt vero Canones numero viginti  
 septem, plerique ad causam Photii per-  
 tinentes. Decreta Nicolai Papæ & Ha-  
 driani Papæ Ignatio faventia & Photium  
 damnantia confirmantur. Declaratur,  
 quod Photius nunquam fuerit Episcopus,  
 omnes Ordinationes ab ipso collatæ sint  
 nullæ, & Ecclesiæ seu Altaria ab ipso  
 consecrata iterum consecranda sint. Pho-  
 tius anathematizatur, quod commentiti-  
 os Legatos Orientis subornaverit, &  
 ejusmodi fallaciæ, confirmato Martini  
 Papæ Decreto, deinceps prohibentur.  
 Omnia promissa exacta ab illis, quibus  
 Photius scientias tradebat, aut quorum  
 animos sibi devincire studebat, nulla  
 pronuntiantur, & prohibetur, ne im-  
 psterum Patriarcha Constantinopolitanus  
 ad propriam stabilitatem a Clericis Chi-  
 rographa aut quamcunque subscriptio-  
 nem exigat, sola professione Fidei, quam  
 Episcopi in sua Ordinatione dent, ex-  
 cepta. Episcopi & Clerici a Methodio  
 & Ignatio ordinati, qui Photio adhærent,  
 & Concilio se non subjiciunt, præcisa o-  
 mni

6.2.

6.4.

6.9.

6.8.

28. Febr.

6.25.

ren-  
erunt,  
a Con-  
igitur  
parte  
parte  
vigin-  
ii per-  
& Ha-  
otium  
ratur,  
copus,  
æ sint  
b ipso  
Pho-  
menti-  
it, &  
artini  
atur.  
uibus  
orum  
nulla  
mpo-  
tanus  
Chi-  
ptio-  
quam  
, ex-  
odio  
rent,  
sa o-  
mi

ni restitutionis spe deponuntur. Om-  
nibus a Sancta Synodo anathematizatis  
prohibetur, ne venerabiles Imagines pin-  
gant, aut scientiarum disciplinas aliis  
tradant. Prima pars hujus Canonis  
Gregorium Syracusanum, qui pictor e-  
rat, & altera Photium respicit. Ana-  
thematizantur omnes opinantes, homi-  
nem habere duas animas.

Sæculum IX.  
A. C. 870.

c. 7.

Canones  
Synodi VIII.

Photio tribuebatur hic error, quem  
in eo reprehendit Constantinus Philoso-  
phus, ille ipse, ut credunt, qui Sclavis  
Fidem prædicavit. Confirmantur Ca-  
nones prohibentes, ne Neophyti ordi-  
nentur, id est, ne quis ex Laicorum nu-  
mero subito ad Episcopatum promovea-  
tur, etiamsi per omnes Clericorum gra-  
dus duceretur, & nisi omnibus consta-  
ret, eum solo pietatis amore, nulla am-  
bitione, aut proprii commodi desiderio  
impulsus Clericalem ordinem suscepisse.  
Quod si ita sit, prius tamen requi-  
ritur, ut eligendus in Episcopum uno  
anno tanquam Lector, duobus annis tan-  
quam Subdiaconus, tribus annis Dia-  
conus, & quatuor annis Presbyter mi-  
nistraverit. Unde eum annis decem in  
Clericalibus ordinibus ministrasse oportebat,  
qui Episcopus eligi posset. E-  
piscopi ex auctoritate & imperio Prin-  
cipis non ordinentur, sub pœna Deposi-  
tionis, & Laici potentes electioni Epis-

Anast. in  
præf. p. 965.

c. 5.

c. 12.

D d 5 copo-



Sæculum IX. coporum non intersint, nisi ab Ecclesia  
A. C. 870. invitati. Si se Canonice Electioni op-

c. 22.

ponant, anathematizentur. Hi Canones  
eo magis notatu digni sunt, quod Im-

c. 13.

peratore & Senatu præsentibus fuerint  
promulgati. Clerici majoris Ecclesie  
Constantinopolitanæ a gradu inferiore  
ad gradum superiorem, in ministerii sui  
præmium, ascendant. Qui Domui aut  
prædio Optimatis præfuerit, his Cleri-  
cis adscribi non possit.

Nemo ab Episcopi sui Communione  
abstineat, nisi ille Canonice fuerit con-  
demnatus. Ita etiam Episcopus a suo  
Metropolita vel Patriarcha non discedat.

c. 10.

Qui in orbe terrarum rerum potiun-

c. 21.

tur, quinque Patriarchas venerentur,  
eos sedibus suis dejicere non moliantur,  
sed honorem, qui eos decet, exhibeant.

Nemo contra Papam scribat, quamcum-  
que accusationem obtendens, quod mo-  
do Photius, & olim Dioscorus ausi sunt.

Si aliqua contra Ecclesiam Romanam in  
Concilio Oecumenico afferantur, ea ser-  
vato primæ Sedi congruo honore exa-

c. 14.

minentur. Episcopi Dignitatem suam  
non ita vilipendant, ut advenientibus  
Strategis aut quibusve Principibus aliis  
procul ab Ecclesia obviam occurrant,  
de equo vel mulo se præcipitent, & co-  
ram sæcularibus prosternantur. Sed E-  
piscopis sua constet auctoritas, qua Prin-  
cipes

cipes sæculares, ubi opus fuerit, corripiant & increpent. Patriarchæ potestatem habeant, Metropolitæ ad Synodum convocandi, ubi expedire crediderint, nec istorum excusatio valeat, quod a Principibus prohibeantur. Patriarcharum etiam est, Metropolitæ errantes corrigere. Rudes quosdam dicere non erubescimus, haud posse celebrari Concilia Principe non præsentem, non sine horrore rejicimus. Archiepiscopi specie visitandi Ecclesias, apud Suffraganeos suos, si necessitas non urgeat, non diverfentur, & redditus Ecclesiarum sibi subjeetarum non consumant. Metropolitæ non accersant ad se Suffraganeos, quibus Divina Officia peragenda committant, dum ipsi negotiis sæcularibus vacant, sed sacro ministerio ipsi fungantur. Secus deponantur. Hic dispicimus, unde Suffraganei vocentur illi Episcopi, qui in sacro ministerio Ordinis Episcopalis aliorum officio funguntur.

*Multis lacrymis & lamento dignum facinus ad nostram pervenit notitiam, subjungit Sacra Synodus, sub eo, qui nuper regnavit Imperatore, quosdam Laicos de ordine Senatorio, comam formasse more Clericorum, & vestes Sacerdotales induisse, habentes Ducem, qui Patriarcham simebat, ita sacras cæremonias & Ritus Electionis, Ordinationis Episcoporum*

Sæculum IX.  
A. C. 870.

c. 17.

c. 19.

c. 24.

rum

Sæculum IX. *rum, Judicii Ecclesiastici, & Depositionis mimice fuisse imitatos, impietate etiam inter Infideles inaudita. Itaque Sacra Synodus prohibet, ne imposterum, quicumque nomen Christiani gerit, ejusmodi nefandis ludibriis Religionem vilipendere præsumat, aut alios talia facientes silentio tegat. Si Imperator aut Optimatum aliquis ea insania laboret, illum Patriarcha & Episcopi coerceant, Sacramentis privent, pœnitentiam injungant, & si repugnet, anathemate feriatur. Si Patriarcha Constantinopolitanus ejusque Suffraganei existente casu suis partibus desint, deponantur. Illis vero, qui tempore præterito operam sacrilego mimo dederunt, hanc injungimus pœnitentiam. Annis tribus a Communionem sint separati. Anno primo sint extra Ecclesiam stentes, secundo stent inter Catechumenos, tertio inter Fideles. Quæ in hoc Canone ad Photium pertinent facile dispiciuntur.*

## §. XLVI.

*Concilii finis.*

Postquam Canones fuissent recitati, ipsa Concilii Definitio promulgata; quam duo Metropolitæ, Metrophanes Smyrnensis & Cyprianus Claudiopolitanus unus in superiore & alter in inferiore parte Conventus legerunt. Est vero hæc

hæc Definitio sermo admodum prolixus, Sæculum IX.  
 qui in prima parte continet amplam Fi- A.C. 870.  
 dei Confessionem, addito contra Hære-  
 ticos præsertim Monothelitas, non omis-  
 so Honorii nomine, & contra Iconoclas-  
 tas Anathematismo. Septem Concilia  
 generalia approbantur, quibus istud o-  
 ctavum jungitur, & sententia in Pho-  
 tium a Nicolao & Hadriano Pontifici-  
 bus pronunciata confirmatur. Tum Ba-  
 silio Imperatore interrogante, an omnes  
 Episcopi huic Definitioni consentirent,  
 cuncti acclamando consensum suum pro-  
 fessi sunt, laudes Imperatoris, duorum  
 Pontificum & Patriarcharum addentes,  
 atque Photio, Gregorio, & Eulampio a-  
 nathema dicentes. Tandem lecta est  
 oratio Imperatoris, in cujus exordio gra-  
 tias agit Episcopis, quod tantum labo-  
 rem subierint, & subjungit: *Si quis ha-*  
*bet, quod contra hanc Sacram Synodum*  
*Canones aut Definitionem proponat, is*  
*in medium prodeat, & dicat, sive Epis-*  
*copus sit, sive Clericus, sive Laicus. Et*  
*si enim Laicis non competat de rebus Ec-*  
*clesiæ disputare, modo tamen hanc eis li-*  
*centiam damus, ut postea nullius conditio-*  
*nis homines contra hæc Decreta mutire*  
*audeant. Non ignoratis, quantæ molis*  
*fuerit, Legatos Romanos & Ecclesia-*  
*rum Orientalium congregare; quod an-*  
*te id tempus complures frustra tentave-*  
*rant.*

p. 1153.

Sæculum IX. rant. Si ergo quisquam rem gravis mo-  
 A. C. 870. menti indicare cupit, loquatur Concilio  
 aduocatum congregato. Quippe, eo solu-  
 to, non amplius erit loquendi tempus,  
 nec nos cuiquam cuiuscunque Dignitatis  
 sit, si Concilio obedire detrectet, veniam  
 concedemus. Vos vero Episcopi, Amici  
 Dei, docete oves vestras, eis qualibet die  
 Dominica Doctrinam Cælestem annuncio-  
 te, & errantes ad ovile reducite. Ete-  
 nim sciatis velim, si hæresis in cujusquam  
 vestrum Diœcesi detecta fuerit. Episco-  
 pum a suo Patriarcha esse damnandum.  
 Custodite pacem inter vos, & concordiam,  
 quam in hoc Concilio stabilivistis. Cle-  
 ricos quoque ad amorem pacis exhortor.  
 Vobis autem, qui Laici estis, sive in Di-  
 gnitate constitutis sive privatis, non licet  
 de quæstionibus Religionis differere, sed  
 hoc Episcoporum est officium. Etsi scientia  
 & virtute emineat Laicus, de nu-  
 mero ovium non eximitur. Episcopus  
 econtra, etsi minime ad perfectionem vita  
 pertigerit, nihilominus Pastor est, quam-  
 diu veritatem docet. Subditi ergo esto-  
 te Præpositis vestris, & Judices vestros  
 nolite judicare.

p. 1155.

Peractis omnibus, cum Legati Ro-  
 mani Imperatores ad subscribendum  
 primo loco invitarent, Basilius, ego qui-  
 dem, inquit, post omnes Episcopos secun-  
 dum exempla Antecessorum meorum, Con-  
 stan-

stantini Magni, Theodosii, Marciani, a-  
 liorumque subscribere cuperem, sed, quan-  
 doquidem ita vultis, post omnes Legatos  
 subscribam. Tunc Donatus Episcopus  
 Ostiensis subscripsit quinque Exemplari-  
 bus, quæ quinque Patriarchis traderen-  
 tur, & postea ceteri duo Pontificis Lega-  
 ti addita semper clausula: (\*) usque ad  
 voluntatem Papæ. Nempe si ipse con-  
 sentiat, & quod factum, ratum habeat.  
 Postea subscripserunt Ignatius Patriar-  
 cha, Josephus Legatus Alexandrinus,  
 Thomas vices gerens Sedis Antiochenæ,  
 & Elias Legatus Jerosolymitanus. Tum  
 Imperatores quoque subscripserunt in  
 hunc modum; Basilius solummodo Cru-  
 cem formavit in singulis quinque exem-  
 plaribus, Constantinus vero pro se &  
 fratre suo Leone Cruces formans adscri-  
 psit trium Imperatorum nomina, & re-  
 liqua Christophorus Notariorum Præfe-  
 ctus scripsit. Tandem Basilius Archi-  
 episcopus

Sæculum IX.  
 A. C. 870.

Concilii Oec.  
 cumenici  
 exitus.

Not. Anast.  
 p. 1157.

(\*) Ipsa verba sunt: *Ego Donatus gra-  
 tia Dei Episcopus Sanctæ Ostiensis Ecclesiæ,  
 locum obtinens Domini mei Hadriani Summi  
 Pontificis & universalis Papæ, omnia quæ su-  
 perius leguntur, huic Sanctæ & Universali Sy-  
 nodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem  
 æximii Præsulis promulgavi & manu propria  
 subscripsi. Act. Conc. Tom. V. Edit. Paris. 1714.  
 Basilius & filii, perpetui Augusti & Romanorum  
 Imperatores dicuntur.*

Sæculum IX. episcopus Ephesinus & ceteri omnes Episcopi, numero centum & duo subscripserunt. Pauci profecto, si multitudo Episcoporum illa ætate imperio Constantinopolitano subjectorum spectetur; sed nempe Photius tyrannidem exercens pæne omnes & decessoribus suis Sacratos deposuerat, & in Sedes eorum suos Fautores promoverat, quorum nullus in hoc Concilio est receptus. Isti igitur soli ex priorum Patriarcharum consecratione superstites inventi fuerunt.

p. 1231.

Nicetas, illius ævi Scriptor, in vita Ignatii Patriarchæ, ubi ei de subscriptione hujus Concilii sermo est, dicit: *Non atramento vulgari subscripserunt, sed, (horresco referens) calamus, quo scribebant, Sanguine Salvatoris imbuentes; quod affirmari a scientibus audiui.*

Theoph.

p. 275.

Sup. Lib.  
XXXVIII.

s. 46.

Acta de hoc facto (\*) silent. At rei hujus exemplum suppetit; nam Theophanes Historiæ Scriptor de Theodoro Papa refert, eum Jesu Christi Sanguine atramento, cum in Pirrhum Depositionis sententiam scriberet, miscuisse.

vit. Hadr.

p. 891.

Legati Romani, antequam subscriberent, cum Græculorum Fidem suspectam haberent, Acta Concilii Anastasio Bibliothecario utriusque linguæ Græcæ & Latinæ

(\*) Nec Cardinalis Baronius tantæ rei meminuit.

tinæ optime gnaro examinanda tradide- Sæculum IX.  
 rant. Is notavit, in altera Epistolarum A. C. 870.  
 Hadriani Papæ omnia, quæ ad laudes  
 Ludovici Imperatoris pertinebant, a  
 Græcis fuisse omiffa. Legatis ergo Ro-  
 manis acriter conquerentibus, respon-  
 derunt Græci, in Concilio Ecclesiastico  
 non oportere alterius quam solius Dei  
 laudes inferi. Potuiffet forfan utcun-  
 que recipi hæc excusatio, nisi in hoc ipfo  
 Concilio Basiliæ Græcorum Imperatoris  
 laudes utramque paginam impleffent.  
 Tandem convenit, ut Papæ Legati, ad-  
 dita illa claufula, de qua supra, *usque ad*  
*voluntatem Papæ*, subscriberent.

Totius deinde Concilii nomine duæ  
 Epistolæ Synodicae scriptæ. Prima erat  
 encyclica, in qua omnia, sicut acta fue-  
 rant, referuntur, & omnes Ecclesiæ Fi- P. 1162. Gr.  
 lio, cujuscunque Dignitatis & conditio- 1380.  
 nis sint, Judicium Concilii recipere se-  
 feque subficere jubentur. Altera ad Ha-  
 drianum Papam data est, in eaque Le-  
 gati Romani & Nicolaus Papa, cujus ju-  
 dicio tota Synodus inhæfiffet, laudantur.  
 Præterea excitatur Hadrianus, ut reci-  
 piat Concilium confirmetque, illudque  
 promulgari atque in omnibus Ecclesiis  
 recipi jubeat. Data quoque fuit Episto-  
 la encyclica nomine Imperatoris Basiliæ  
 duorumque filiorum ipsius, qua omnes  
 Episcopi de Definitione Concilii certio-



Sæculum IX. res fiunt, & cui apposita est Indictio ter-  
A. C. 870. tia, seu annus hic octingentesimus se-  
 ptuagesimus. (\*)

§. XLVII.

(\*) Nulla in Concilio octavo de processio-  
 ne Spiritus Sancti mentio facta, quia Romani  
 deposito Photio erroris Auctore Hæresim quo-  
 que extinctam credere poterant.

Ceterum de eodem Photio Jacobus Bas-  
 nagius, Huguenota, qui Lectiones antiquas Hen-  
 rici Canisii S. J. iterum edidit & additis Ob-  
 servationibus corrupit, in Observatione ad E-  
 pistolam Photii ad Michaellem Bulgariae Regem  
 datam Tom. II. dicit: *De Photio Litteratis om-  
 nibus notissimo nihil foret dicendum nisi vo-  
 pularet Baronio Lambecio ceterisque. Hunc  
 Seductorem, quo nullus deterior potuit inveniri,  
 criminibus manifestissimis iisque plurimis invo-  
 lutum asserit Annalista.* †

† Nicetas in  
 vit. Ign.

Deinde ex Niceta eundem ab eruditione  
 laudat, & suis postea verbis a patientia in er-  
 rumnis, *nam, ubi vidit, inquit, amicos in vin-  
 culis male tractari, verberibus dilacerari, lin-  
 guis excindi, temperare non potuit a lacry-  
 mis &c.* Hæc Basnagius sine teste asserit, et  
 vero, quod Photius crudelem in modum per-  
 cutus sit Ignatium Patriarcham, quod Papam &  
 Latinos calumniatus sit, quod eos Hæresis ac-  
 cusaverit, ipse hac peste infectus, quod tam  
 Græcos quam Latinos confictis Legationibus,  
 Conciliis, Subscriptionibus deceperit versuti-  
 simus Sycophanta, & denique omnes dolor,  
 fallacias, mendacia, quæ superius Lector obser-  
 vare

## §. XLVII.

Sæculum IX.  
A. C. 870.*Libelli surrepti, & redditi.*

At Græcorum aliqui Ignatium Patriar-<sup>vit. Hadr.</sup>  
cham & Basilium Imperatorem se-<sup>Not. Anast.</sup>  
creto adeunt, & queruntur, traditione <sup>p. 990.</sup>

E e 2 Libel-

vare potuit, dissimulat sicut Caveus & alii Pro-  
testantes. Quid demum sit cæcum esse, si hoc  
non est? Tum Photium cum S. Ambrosio e-  
tiam e Laico in Episcopum ordinato conferre  
Basnagium non pudet. Tandem addit: Ajunt  
(nempe Catholici) Photium Sedem Ignatii Im-  
peratoris jussu depositi invalisse: *Quasi illud  
juris ab initio fere non habuissent Imperatores,  
quoslibet Patriarchas deponendi, aliosque in  
Sedem expulsorum promovendi. Id Theo-  
dora fecit, quæ ipsi Baronio tanto erat in pre-  
tium. &c.*

Talia Protestantium asserta, sicut sine ullo  
argumento temere affirmantur, ita etiam præ-  
fracte negantur. Quoriescunque Patriarchæ  
Constantinopolitani depositi fuerunt, vel id in  
Conciliis legitime congregatis & ex justa causa  
factum, vel ubi Imperatores pro suo lubitu Præ-  
sules ejecerunt, id semper contra constantem  
& antiquissimam Ecclesiæ Disciplinam per nefas  
attentarunt. Exemplum ejecti Joannis Lecono-  
mantæ & electi Patriarchæ Methodii, favente  
Theodora Augusta, cum Photii causa nullam  
habent affinitatem. Theodora convocavit E-  
piscoporum Concilium, † Methodius libere & † *Fleurius*  
canonice electus est, & pulsus Joannes, mani-<sup>L. XLVIII</sup>  
festus <sup>p. 6.</sup>

Sæculum IX. A. C. 870. Libellorum, quibus Legati secundum formulam Roma allatam subscribi petissent, Ecclesiam Constantinopolitanam in Romanorum potestatem fuisse redactam, nec alia via libertatem amissam recuperari posse, quam si hi Libelli sibi restituerentur. Addunt, clausulam subscriptioni Legatorum insertam, occultam fraudem esse, qua Judicium Concilii rursus possent subvertere, & pristinas turbas reducere. Imperator, his suggestionibus commotus, jubet præfectos suos, quibus Legatorum Romanorum cura demandata fuerat, explorare tempus, quo illi in aliquam forte Ecclesiam cum suis digrederentur, tuncque eorum domum intrare, & hos libellos clam auferre. Ergo Legatis ad colloquendum Patriarchæ in ædes ejus se conferentibus, præfecti, ut imperatum erat, plurimorum libellorum partem nemine vidente surripiunt. Sed omnes reperire non potuerunt, quoniam Legati, illud ipsum, quod evenit, subodorati præcipuorum Episcoporum Libellos solertissime occultaverant.

Legati

festus Hæreticus, & dudum a Communione Ecclesiæ Catholicæ exclusus; cum econtra adversus Ignatium ne quidem hostes quidquam, nisi Michaelis Imperatoris, cui Religioni illudere volupe erat, voluntatem nullo jure subnixam, aut abdicationem Ignatii commentitiam, afferant,

Legati domum reversi furtum notant, Sæculum IX.  
 quo vehementer afflicti, adscitis etiam A. C. 870.  
 Ludovici Imperatoris Oratoribus Sup-  
 poprimo & Anastasio, Basilium Impera-  
 torem adeunt, cui Romani: *Nunquam*  
*redire Romam audebimus sine libellis;*  
*tibi vero laborum omnium, quos pro pace*  
*Ecclesiæ tulisti, fructus perit.* His Lu-  
 dovici Oratores subjiunt: *Indignum*  
*sane est tanto Imperatore, opus suum*  
*destruere. Cum illi libelli te consen-*  
*tiente dati fuerint, si te penitentia*  
*subiit, id palam profiteri. Si autem be-*  
*ne factum, quomodo salva auctoritate ser-*  
*vulorum furtum dissimulas? si dicas, te*  
*in scio fraudem esse factam, tunc demum*  
*fidem adstrues, si libellos ab illis, qui-*  
*bus Legatorum curam, obsequii causa,*  
*commisisti, & quorum proinde est, rerum*  
*amissarum rationem reddere, restitui*  
*jusseris.* Tandem postquam diu mul-  
 tumque eandem rem rogassent, ægre ob-  
 tinuerunt, ut restituerentur. Redditi  
 tamen sunt libelli omnes, nec unicus de-  
 fait, quos illi Legatis Ludovici Impera-  
 toris tuto in Italiam deferendos tradide-  
 runt.

## §. XLVIII.

*Colloquium de Bulgaris.*

Soluto Concilio, quæstio de Bulgaris in  
 conventu privato tractari cœpta.

Sæculum IX. Formosus & Paulus Episcopi, a Nicolao  
 A. C. 870. Papa in Bulgariam missi, Romam reverfi  
 retulerant, novellam Ecclesiam Romanæ  
 Sedi omnino esse subditam, & ad Papam  
 deduxerant Petrum, Regis Bulgarorum  
 Oratorem, qui dona Regis sui reddidit  
 epistolasque. In iis Pontificem instan-  
 tissime rogabat Rex, ut Marinum Dia-  
 conum, cujus merita ipsi essent perspe-  
 cta, Archiepiscopum ordinaret, & sibi  
 mitteret, aut alium ex Cardinalibus Ec-  
 clesiæ suæ, illo gradu dignum, qui si Bul-  
 garis probaretur & eligeretur, ad Papam  
 rediret Ordinationem accepturus.

*vid. Hadr.*

*sub. fin.*

*Sup. Lib. L.*

§. 54.

Cum Marinus illo tempore Constans-  
 tinopoli Oratoris munere fungeretur,  
 misit ad Bulgaros Pontifex alium, nomi-  
 ne Silvestrum, quem Archiepiscopum  
 eligerent. Ast eum confestim cum Leo-  
 pardo Episcopo Anconitano & Domini-  
 co Tarvisino remiserunt, postulantes, ut  
 sibi Archiepiscopus, vel Formosus Episcopus  
 Portuensis mitteretur. Respondit  
 Papa, daturum se ipsis Archiepisco-  
 pum, quem Rex expetiisset. Sed Prin-  
 ceptus ille tantæ moræ impatiens, eundem  
 Petrum, qui prius Romæ fuerat, nata  
 alia occasione, Constantinopolim missum,  
 quærere jubet, cui Sedi Ecclesiam Bul-  
 garorum subjectam esse oporteret. Hæc  
 ergo Collationis inter Romanos & Græ-  
 cos fuit materia.

Triduo

Triduo postquam Acta Concilii suis-<sup>Sæculum IX.</sup>  
 sent descripta, & in Ecclesia S. Sophiae <sup>A. C. 870.</sup>  
 deposita, convocante Imperatore Lega-<sup>vid. Hadr.</sup>  
 ti Papæ cum Legatis Alexandrinis, An-<sup>p. 892.</sup>  
 tiochenis & Jerosolymitanis & Patriar-  
 cha Ignatius ad audiendum Regis Bul-  
 garorum Legatos conveniunt, ubi Pe-  
 trus Legatorum præcipuus profatus est  
 in hunc modum: *Michael Bulgarorum  
 Princeps, cum sciat, vos, ut Ecclesiæ uti-  
 litati serviretis, hic fuisse congregatos,  
 inde maximo afficitur gaudio, & vobis  
 Sacræ Sedis Legatis gratias agit, quod  
 per Bulgariam iter facientes, eum reddi-  
 tis literis salutaveritis.* Legati Papæ  
 responderunt: *Cum vos Ecclesiæ Roma-  
 næ filios esse sciremus, cbaritas postula-  
 bat, ut vos in transitu salutaremus.* Mox  
 iterum Bulgari: *Quia haud multo abhinc  
 tempore Christiana Sacra suscepimus, so-  
 liciti sumus, ne in re quapiam fallamur;  
 unde ex vobis, qui Patriarcharum vices  
 geritis, quærimus, cui Ecclesiæ nos sub-  
 ditos esse oporteat.* Legati Papæ: *Sine  
 dubio Ecclesiæ Romanæ, cui se Dominus  
 vester per os vestrum cum toto populo suo  
 submitit.* A Nicolao Papa accepit Regu-  
 las morum, Episcopos, Presbyterosque,  
 quos apud vos habetis, & convenienti cul-  
 tu honoratis. *Fatemur, dixerunt Bul-  
 gari, quod ab Ecclesia Romana Presbyte-  
 ros expetierimus, quos etiamnum retine-*

Sæculum IX. *mus, iisdemque obedire in cunctis volu-*  
 A. C. 870. *mus. Sed rogamus vos, ut cum his Lega-*  
tis Patriarcharum præsentibus definiatis,  
*an magis rationi conveniat, nos Eccle-*  
*sia Romanæ vel Constantinopolitanæ sub-*  
*esse. Legati Romani: Ad finem perdu-*  
*cta sunt negotia, quæ cum Patriarchis O-*  
*rientalibus pertractare nobis a Sacra Se-*  
*de fuerat præceptum. Nulla nobis sunt*  
*mandata, quæ ad vos spectent, nec nobis*  
*quidquam Romanæ Sedis prærogativis*  
*adversum definire licet. Sed econtra cum*  
*Regio vestra Presbyteris nostris impleta*  
*fit, definimus, quantum possumus, vos nul-*  
*li alteri quam Ecclesie Romanæ subditos*  
*esse debere.*

Tum Legati Orientis ex Bulgaris  
 quærere: *Cum armis subegistis hanc pro-*  
*vinciam, cuius erat, & quinam ibi Pres-*  
*byteri, Latini vel Græci? Bulgari:*  
*Græcos devicimus, & invenimus ibi*  
*Presbyteros Græcos non Latinos. Ergo*  
*liquido constat, dixerunt Legati Ori-*  
*entis, hanc provinciam sub Jurisdictione*  
*Civitatis Constantinopolitanæ extitisse.*  
 Legati Romani: *Diversitate linguarum*  
*Ecclesiastica Jurisdictio non perturbatur.*  
*Sacra Sedes, quæ Latina est, in complu-*  
*ribus locis pro diversitate regionum Epis-*  
*copos Græcos constituit. Saltem, repo-*  
*fuerunt Legati Orientis, negare non po-*  
*testis, hanc Provinciam ad Imperium*  
 Græ.

*Græcorum pertinere. Legati Romani: Sæculum IX.  
non negamus. Sed hic de jure Cathedra- A. C. 870.  
rum Patriarchalium, non vero de divi-  
sione Regnorum agitur.*

Legati Orientis dixerunt: *Audire  
cupimus, quo argumento dicatis, Bulga-  
riam ad vos pertinere? Legati Papæ:  
Ex Epistolis Paparum Decretalibus disce-  
re potestis, sub Sacræ Sedis Regimine o-  
mnino extitisse Epirum veterem & no-  
vam, totam Thessaliam & Dardaniam, Sup. Lib.  
quæ hodie Bulgaria dicitur. Itaque Sa- XXIV.  
cra Sedes hanc jurisdictionem Ecclesiæ §. 31.  
Constantinopolitanæ non detraxit, ut Sup. Lib.  
præsumitis, sed irruptione Bulgarorum XXVI.  
amissam, modo, cum Christiani facti sunt, §. 39.  
postliminio, iisdem volentibus recepit.  
Deinde Bulgari, in illa regione victores,  
quam tot jam annis tenent, sponte se Sa-  
cræ Sedis tutelæ, præsidio & regimini  
subjecerunt. Tandem constat, Nicolaum  
Papam illuc misisse ex nobis quosdam, qui  
hic præsentibus sumus, Episcopos Paulum,  
Dominicum, Leopardum, Formosum, &  
Grimoaldum, etiamnum ibi commoran-  
tem, cum compluribus Presbyteris nostris,  
quod Bulgari, ut modo audivistis, faten-  
tur. In illa provincia consecravimus  
Ecclesias, ordinavimus Presbyteros, non  
sine ingenti labore Fideles erudivimus.  
Igitur Ecclesia Romana jure possessionis,  
E e 5 quo*



Sæculum IX. *quo ab annis tribus gaudet, incio Papa  
A. C. 870. spolianda non est.*

Legati Orientis : Quo jure, veteri,  
an novo, modo actionem movetis! Legati  
Papæ: Non vos elegit Judices Sacrae Se-  
des in hac causa, vos, inquam, se inferio-  
res, cui soli competit in tota Ecclesia ju-  
diciam ferre. Unde hanc causam, quam  
curare nos non jussit, Sacrae Sedi refer-  
vamus. Sententiam vero vestram, quam  
levissimo ingenio pronuntiatis, illa facil-  
lime contemnit. Legati Orientis: Non  
deceat, vos qui abjecto Græcorum Princi-  
patu cum Francis (\*) fœdera iniistis, qua-  
cunque Jurisdictione in Imperio Domini  
nostri gaudere. Itaque Bulgarorum pa-  
triam, quam sub Græcorum potestate du-  
dum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuis-  
se cognovimus, Sanctæ Ecclesiæ Constanti-  
nopolitanae, a qua per paganismum re-  
cesserat, nunc per Christianismum resti-  
tui judicamus.

Legati

(\*) Ecce, hic arcanum & putidum ulcus  
aperiunt Græculi. Nempe manebat alta mente  
repositum, translatum ad Francos Occidentis Im-  
perium. Sed propria culpa hæc acciderant.  
Ex his etiam observandum, Christianos tribus  
Ecclesiis Patriarchalibus subiectos Imperatorem  
Græcorum palam Dominum & Principem suum  
fuisse professos. Unde non mirum, quod Sa-  
racenis victoribus suspecti esse mererentur.

Legati Romani reclamantes dixerunt: *Sententiam, quam non electi neque admissi, sive timore sive gratia, vel quidquid illud est, modo præcipitastis potius quam protulistis, auctoritate Spiritus Sancti usque ad definitionem Sanctæ Sedis Apostolicæ rescindimus. Teque Patriarcham Ignatium obtestamur, secundum banc Epistolam Hadriani Papæ, quam tibi reddimus, ut ab omni Ordinatione in Bulgaria abstineas, & neminem tuorum illo mittas, ne Sancta Sedes Apostolica, quæ tibi tua restituit, te Auctore sua amittere videatur. Quin potius, si justam te habere querimoniam existimas, banc Romanæ Ecclesiæ, cujus beneficio Patriarcha es, ritu Judiciali suggerere non omit- tas. Ignatius Patriarcha, Papæ Epistolam quidem recepit, sed eam legere, licet Legati Romani vehementer instarent, in aliud tempus distulit, respondens: Absit a me, ut his præsumptionibus contra decorem Romanæ Sedis implicer; qui nec juveniliter ago, ut facile falli me patiar, nec ita seniliter deliro, ut ipse committam, quod in aliis reprehendere debeo. Hic fuit illius Collationis exitus.*

Ipsè Basilius Imperator interfuit, nec ulli alii admissi, quam quos Imperator & Ignatius Patriarcha voluit. Legati Orientis, nec Oratores Bulgarorum intelligebant, quid Romani loquerentur;

Romani

Sæculum IX.  
A.C. 870.

Quæstio de  
Jurisdictione  
in Bulgaros.

Sæculum IX. Romani vero, nec Bulgari, quid Orientales dicerent, percipiebant. Sed unus aderat Imperatoris Interpres, qui nec Romanorum, nec Orientalium voces aliter audebat reddere, quam jubebat Dominus suus, ut, quod volebat, Bulgari persuaderet. His etiam data est pagina, in qua Græce scriptum, Legatos Orientis, inter Papam & Ignatium Patriarcham arbitros, sententiam pronunciasse, Bulgariam Jurisdictioni Constantinopolitanæ Ecclesiæ oportere esse subjectam.

## §. XLIX.

*Legatorum Romanorum reditus.*

*vit. Hadr.*  
*p. 894.*

**L**egatorum Romanorum constantia Basilium Imperatorem iisdem jam prius, quod ipsum ad reddendos libellos compulissent, subiratum acrius commovit. Nihilominus dolorem dissimulans, eos mensæ adhibuit, tumque magnis donis cumulos dimisit comitante Theodosio Spathario, qui discedentes Dyrrachium deduxit. Sed nullum abeuntibus præsidium paraverat Basilius; unde cum post lapsum paucorum dierum Dyrrachio solvissent, inciderunt in Piratas Sclavos, qui rebus omnibus spoliatis etiam authenticum Actorum Concilii, in quo subscriptiones erant, abstulerunt. Quin captos & vita ipsa privassent, nisi aliquos, qui

qui effugerant, sociorum mortem haud dubie ulturos, pertinuissent.

Sæculum IX.

A.C. 870.

Tandem postquam Papa & Imperator datis literis effecissent, ut libertati restituerentur, Romam pervenerunt vigesima secunda Decembris eodem anno octingentesimo septuagesimo, Indictione quarta. Libelli quoque abjuratiōnis, quos adhucdum Constantinopoli existentes Suppoppo & Anastasio Ludovici Imperatoris Legatis commiserant, feliciter Romam delati sunt cum exemplari descripto Actorum Concilii, quod, factum provide, Anastasii solertiæ debemus.

§. L.

*Versio Concilii Anastasio Auctore.*

Pontifex Acta Concilii descripta, non sine magno lætitiæ sensu accepta, Anastasium in latinum vertere jubet. Qui subiit imperium, vertitque de verbo ad verbum, quantum diversitas linguarum permittebat; quin sæpe plus iusto phrasēs græcas retinuit, a genio latii divergentes. Addidit in margine adnotationes, in quibus mores Græcorum exponit, vel quædam facta, Romæ vel Constantinopoli sibi comperta, refert. In *to. 8. Conc.* fronte Versionis conspicitur Præfatio in *p. 961.* forma Epistolæ ad Hadrianum Papam directæ, in qua historiam Schismatis Photiani

tiani

Sæculum IX. tiani, celebrati Concilii modum, & de  
 A. C. 870. mandata sibi Versionis occasionem re-  
 fert. Et subjungit: *Si forsan posteriore tempore in Concilii hujus Exemplaribus Græcis aliqua addita vel mutata fuerint, omnes noverint, nihil aliud fuisse definitum, præter illa, quæ in Exemplari Græco in Tabulis Ecclesiæ Romanæ conservato, & optima fide in latinum sermonem translato, leguntur.*

Hujus admonitionis deinde rationem reddens, narrat historiam Conversionis Bulgarorum, Colloquium eorum causa habitum, & dicit; suspicandi locum esse, Græcos aliquid Concilii Actis adjecturos, quo ignaris persuadeant, fuisse in ipsa Synodo definitum, ut Bulgari Sedi Constantinopolitanæ essent subjecti: *Quippe ejusmodi molimina, inquit, Græcis sunt familiaria. Ita in Concilio secundo contra Canones Concilii Niceni Sedi Constantinopolitanæ privilegia contulerunt. Concilio tertio aliquos Canones tribuunt, qui in vetustissimis exemplaribus latinis non leguntur. Adjecerunt alios Concilio quarto de privilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quos ut reciperet S. Leo Papa nunquam adduci potuit. Præterea non paucos Canones ostendunt, plerosque antiquæ Traditioni adversantes, quos falso sextæ Synodo adscribunt. Tandem in Synodo septima*

*ptima de Hadriani † Papæ Epistola illa, quæ ad Ordinationem Tarasi, & generatim ad Neophytos spectant, expungunt. (\*)*

Sæculum IX.

A. C. 870.

† nomine  
primi

Nullibi alias nisi in hac versione latina Anastasii octavæ Synodi Acta integra habemus; nam Acta græce typis edita compendium solummodo exhibent, cum iudicii laude digestum, sed in quo multa, in Authentico contenta, desiderantur.

§. LI.

*Photii Epistolæ adversus Concilium.*

Inter hæc Photius non modo non resipiscebat, sed datis ad amicos literis Concilium palam contemnebat. In Epistola scripta Monacho, cui nomen Theodosius, loquitur in hunc modum: *Cur adeo mireris, homines profanos cætui illustrissimorum Præsulum præesse? damnatos eo usque insolescere, ut in alios iudicium ferre præsumant? innocuos in conspectum impiorum adduci, circumstantibus armatis, ne os ad defensionem innocentiae aperire audeant? nam exempla utique antiqua & nova suppetunt.* *An-*  
*nas,*

Ep. 117.

(\*) His addere potuisset Anastasius, quod in Concilio VIII. ex Epistola Hadriani Papæ omnia ad laudem Ludovici Imperatoris pertinentia græca fide delevissent. Sup. N. XLVI.

Sæculum IX. *nas, Caiphas, Pilatus Judices esse susti-*  
A. C. 870. *nuerunt; JEsus (\*) vero, Magister meus,*  
*& Deus meus, nostrum omnium Judex*  
*introducebatur, & interrogabatur. Ad-*  
*dit deinde exempla S. Stephani, S. Jaco-*  
*bi Jerosolymitani, & S. Pauli. Tum pro-*  
*sequitur: Omnium persecutorum Tyran-*  
*nis, tempore SS. Martyrum, nobis e-*  
*jusmodi facta exhibet. Malam crucem*  
*meriti sedebant ut Judices, vultu ad*  
*severitatem composito, dum vivi sancti,*  
*quorum dignus non erat mundus, in*  
*eorum conspectum adducebantur, & ad*  
*mortem damnabantur. Igitur hominum*  
*audacia te non perterreat, & noli cre-*  
*dere, Dei mirabilem patientiam in ar-*  
*gumentum trahi posse, quod res huma-*  
*nas non curet. Nam omnia ad no-*  
*stram salutem impenetrabili sapientia*  
*disponit.*

*Ep. 118.*

Item, Photius ad eundem: *Quam-*  
*quam in hanc usque diem res exemplo ca-*  
*ruerit, quod missa ab impiis Ismaeli-*  
*tis (\*\*\*) mancipia Episcopis exæquarentur,*  
*Patriarcharum privilegia servis conce-*  
*derentur, & Conciliabulo præessent, noli*  
*mira-*

(\*) Etsi innocens esset Photius, tantæ impudentiæ comparatio tolerari non posset.

(\*\*) Nempe Saracenis Ismaelis posteris, quibus tunc Patriarchæ Orientales subiciebantur.

mirari; nam istud a ceteris eorum facinoribus non abhorret. Noverant, se omnes æqualiter Sacerdotii gratia privatos; unde oportebat, tali Synodo homines a Jesu Christi hostibus missos præfici. Et quis alius eorum societati misceri voluisset, eorumque furori servire, ad opprimendos tot Dei Sacerdotes? nisi inimicorum veri Numinis ministri & inter Infideles educati? Concilium eorum nihil aliud est, quam barbarorum latrocinium. Nulli producti testes, nulli actores, nullus libellus accusationis. Martyres (id est Photium & complices ejus) circumstantabant cohortes militum nudatis ensibus mortem minitantes, si vel hircere auderent. Adstare cogebantur per horas sex vel novem integras, ut mirandi locus esset, quomodo adversarii insultando fatigati non fuerint. Tota Actio non erat ab similibus exhibitioni scenicæ; quippe varia portenta intuentium oculis objiciebantur, legebanturque pulcherrimo ordine Epistolæ barbaræ (nempe latinæ) blasphemias respersæ. Tandem non actus rationi consentaneus, non sermo congruus, sed insani clamores, quales Bacchanalia celebrantes edere solent, Sessioni finem imponebant. Clamabant barbari: Non venimus ad judicandum vos; pridem vos damnavimus. Latæ sententiæ obediendum est. Quamvis autem, charissime, i-

Sæculum IX.  
A.C. 870.

Photius ad  
Monachum.



Sæculum IX.  
A. C. 870. *storum scelus, impium, impudens, inauditum, omnia Judæorum crimina superet, quamvis huic flagitio simile nec unquam sol conspexerit, nec luna umbris suis occultaverit, nec unquam paganorum insolentia aut barbarorum furor, aut stupida vecordia admiserit, non expavescat, nec vel uno momento indignam Dei sapientia & providentia cogitationem in mentem tibi venire patiaris.*

ep. 113.

In Epistola data ad Diaconum, cui nomen Gregorius, hæc leguntur: *Dudum Iconoclastarum Concilium nos anathematizavit, non solum autem nos, sed etiam patrem nostrum, & avunculum nostrum (nempe Tarasium) Jesu Christi Confessores, Episcoporum gloriam. Sed nobis anathema dicentes etiam invitos ad Cathedram Episcopalem evexerunt. Ergo ab iis quoque modo nos anathematizari sinamus, qui contemnentes mandata Domini, sicut Iconoclastæ, ad omnem impietatem viam sternunt, ut ipsis adjuvantibus, licet in via salutis desides simus, ex hac terra in Regnum Celorum evehemur.*

ep. 115.

Tum etiam scribens Ignatio Metropolitanæ Claudiopolitano, insanit in hunc modum: *Olim excommunicatio cum Anathemate devitanda erat & pertimescenda, quando eam contra impios pronuntiabant Ecclesiæ Præsules, qui veram Religionem*

gionem prædicabant. Ex quo autem sce-  
 leratorum hominum stolidi impudentia  
 veræ fidei Defensores contra leges Divi-  
 nas & humanas atque sanam rationem a-  
 natematizat, & speciem legis Ecclesia-  
 sticæ furori barbaro obtendit, hæc pœna,  
 alioqui terribilis & omnium maxima,  
 fabula fit, & puerorum lusus; quin imo  
 viris piis & probis exoptabilis. Non e-  
 nim audacia illorum, qui veritati adver-  
 santur, pœnas, præsertim Ecclesiasticas,  
 graves & horrendas efficit, sed mala eas  
 sustinentium conscientia. Innocentia a-  
 natematismorum strepitus videt, iisque,  
 qui ab improbis premuntur, coronas con-  
 fert & gloriam immortalam. Itaque pro-  
 bi omnes mille injurias pati, & anatbe-  
 matizari ab illis, qui in Jesu Christo  
 partem non habent, potius cupiunt, quam  
 eorum malorum operum participes fieri,  
 & ore hominum laudari. Hæc fuit Pho-  
 tii pervicacia! sed quis Schismaticus  
 non ea ipsa, quæ Photius, ad defenden-  
 dam causam perditissimam afferre pot-  
 est? (\*)

## §. LII.

Theodorus Abucara.

Inter Episcopos in Synodo VIII. præsen-

Ff 2

tes I. G. L. p.

396.

(\*) Illud Fleurius solerter observat. Vera  
 quidem affert hic Photius, sed nemini minus,  
 quam ipsi & ipsius causæ convenientia.

Sæculum IX. A. C. 870. tes memoratu dignus est Theodorus Metropolitā Cariæ, qui antea Photii partes sectatus, ad Ignatium & Ecclesiam Catholicam bona fide rediit. Habemus ab eo quædam Scripta, quæ præferunt nomen Theodori *Abucaræ* id est Arabica lingua, Patris Cariæ. Pleraque sunt Dialogi, in quibus cum Infidelibus & Hæreticis, præsertim cum Nestorianis & Eutychianis disputat. Præ ceteris vero mihi placent Disceptationes cum Musulmannis, quarum exempla hic afferam.

c. 19.

Theodorus refert, Saracenis in more positum esse, Christianum sibi occurrentem in via non salutare, sed statim dicere: *Christiane! testimonium redde veritati, quod unus detur Deus, æqualem non habens, & quod Mahomet Servus atque Legatus ipsius sit.* Cum ergo quædam die Saracenus Abucaram in hunc modum fuisset affatus, ipse respondit: *Non satis tibi est, falsum affirmare, sed etiam alios ad mentiendum excitas? Musulmannus: Non sum falsus testis. Abucara: Ergo noli dicere, quod Deus Mahometem miserit: Musulmannus: Eandem fidem profiteor, quam Pater meus. Abucara: Si istud sufficiat, Samaritani, Judæi, Scythæ, Christiani & Gentiles omnes veram fidem tenent. Omnes enim traditionem patrum suorum sequuntur. Musulmannus: An non tu quoque traditionem*

tionem patris tui sequeris? Sequor, in-  
quit Abucara, sed Pater meus docuit me  
confiteri a Deo Legatum, quem, antequam  
veniret, Vaticinia Propbetarum annun-  
ciarunt, & qui, postquam advenisset,  
editis miraculis fidem fecit. Mabometi  
vestro nec prius nec posterius testimonium  
suffragatur. Musulmannus: *JESUS*  
*Christus in Evangelio dixit: Mitto vo-*  
*bis Propbetam, cui nomen Mabomet.* A-  
bucara: *Nulla bujus rei mentio in Evan-*  
*gelio fit.* Musulmannus: *Legebatur i-*  
*stud; sed vos delevistis.* Abucara: *Si*  
*quis in Judicio petat, debitam pecuniam*  
*sibi restitui, & nullum exhibeat chiro-*  
*graphum, quid ille a Judice obtinebit?*  
Musulmannus: *Nibil. Sed etiamsi ar-*  
*gumentum nullum mihi suppeteret ex E-*  
*vangelio; probo, Propbetam nostrum ex*  
*editis miraculis fide dignum esse.* Abu-  
cara: *Quod vero miraculum edidit?*  
Tunc Musulmannus fabulas congerere  
coepit, & tandem obmutescere coactus  
est.

Cum aliquando Musulmannus, qui  
doctissimus inter suos habebatur, cum  
Theodoro de veritate Religionis disce-  
ptare coepisset, quaesivit iste: *Ponamus*  
*tria genera hominum, alte, & mediocri-*  
*ter sapientium, & stupidorum, an credis*  
*ab uno ex his tribus ordinibus recipi*  
*posse Deum Crucifixum?* Mahometanus

Ff 3

respon-

c. 21.

Sæculum IX. respondit: *Non credo.* Christianus:  
 A. C. 870. *Ergo, te iudice, Christiani ne quidem*  
 Veritas Reli- *homines erunt; attamen, puto, Christiani*  
 gionis Chri- *ni saltem totius generis humani quartam*  
 stianæ. *partem constituunt. Mahometanus:*  
*Sed quomodo affirmare potes, hæc tria*  
*hominum genera Deum crucifixum recepisse?*  
 Christianus: *Ponamus, decem in*  
*orbe vos existere protoparentes totidem*  
*Nationum Infidelium, Græcorum, Romanorum,*  
*Francorum, & sic de reliquis;*  
*subito autem advenire peregrinum, pauperem*  
*ex habitu neutiquam spectabilem,*  
*qui ad vos virili oris constantia diceret:*  
*quare aberratis? & impietatem veræ Religionis*  
*præponitis? Diceretis utique:*  
*quæ est ista vera Religio? Et ille: Deum*  
*Crucifixum adorare debetis. Vos illico,*  
*quasi rabie occupati in ignotum irrucitis,*  
*animam loquentis elidere vultis, & enecare*  
*non potestis. Tunc iterum interrogatis,*  
*& dicitis: expone nobis apertè doctrinam*  
*ab omni ratione usque adeo abhorrentem.*  
 Ille exponit in hunc modum:  
*Deus de Cælo descendit, incarnatus est in*  
*sinu mulieris, & homo factus, nutritus*  
*etiam sicut ceteri infantes. Persequentibus*  
*ipsum inimicis suis fugit in Ægyptum.*  
*Inde reversus capitur, alapis tunditur,*  
*sputis fœdatur, spinis coronatur, crucifigitur,*  
*expirat, sepelitur, tertio die resurgit,*  
*ut ostenderet, se Discipulis suis*

suis non imposuisse, cum res maximas Sæculum IX.  
 promitteret. His auditis, dicitis: A- A.C. 870.  
 mice, usque adeo deliras, ut nemo un-  
 quam magis. Attamen, qui tanta pas-  
 sus est, quid præcipit in se credenti-  
 bus? Ille respondet: præcipit, asperam  
 vitam ducere, a voluptatibus alienam,  
 plures uxores habere vetat, vult, ut  
 percutientibus nos in una maxilla præ-  
 beamus & alteram, auferentibus pallium,  
 demus etiam tunicam. Jubet nos ini-  
 micos nostros diligere, benedicere his,  
 qui nobis maledicunt, & pro illis ora-  
 re. Iterum interrogatis: quam vero  
 mercedem promittit? Respondet peregri-  
 nus: In hoc mundo nullam, sed post-  
 quam in extrema die resurrexeritis,  
 Bona æterna in infinitum possidebitis.  
 Respondetis: Amice, illius, quem præ-  
 dicas, infirmitas, & insuperabilis diffi-  
 cultas præcepta ejus observandi eviden-  
 ter patent, merces autem remotissima  
 & admodum incerta est. Quis hanc  
 Religionem amplectatur? Ille respondet:  
 edicite, an Creatura cuiquam alteri o-  
 bedit, quam Creatori? Respondetis: Non  
 obedit. Ille: Adducite ad me cæcum;  
 dico tibi, in nomine Jesu Christi Na-  
 zareni, ex Maria in BETHLEHEM  
 nati, a Judæis capti, crucifixi, sepulti,  
 resuscitati, aperi oculos tuos. Cæcus  
 visum protinus recipit. Et idem pe-

Sæculum IX. *grinus, invocato Jesu nomine, lepra infectos sanat, omnisque generis edit miracula. Omnes vero, qui hæc vident, tam alte, quam mediocriter, aut nihil sapientes evidenter cognoscunt, Nazarenum esse Deum & Dei Filium, qui omnia illa libera voluntate propter causam nobis ignotam sustinuit. Ita Theodorus ex humilitate apparente Jesu Christi veritatem Religionis demonstrabat, atque in ista parabola modum, quo Fides fuerat propagata, indicabat.*

t. 24.

Alia die, quærenti Musulmano, Episcopo! cur credis, magis licere, unam habere uxorem, quam plures? ubi enim totum malum est, etiam mala est pars quælibet. Theodorus respondit: Hæc pars non continetur in toto, sicut hic homo in tota natura humana, sed opponitur tanquam moderatio excessui, & tanquam bonum malo. Mahometanus: Demonstra istud mihi, non ex Isaia, aut ex Matthæo, quibus fidem non habeo, sed ex argumentis, quæ ex principiis utrinque concessis, sequuntur. Theodorus: Faciam, quod vis. Uxorem accipimus, vel voluptatis causa, vel ad generandam prolem. Nunc vero, an novisti hominem a mundi exordio usque ad præsens tempus, cui Deus majores delicias dederit, quam Adamo? Mahometanus: Non novi. Theodorus: Quot autem pro eo mulieres

res condidit? Mahometanus: *Unicam.* Sæculum IX.  
 Theodorus: *Ergo majorem felicitatem* A. C. 870.  
*in una muliere vir possidet; quam in plu-*  
*ribus.* Mahometanus: *Bene infers. Sed*  
*plures liberi ex pluribus uxoribus spera-*  
*ri posse videntur.* Theodorus: *An ex-*  
*cogitari potest tempus, in quo multitudo*  
*prolis magis necessaria fuerit, quam in*  
*mundi primordiis?* Mahometanus: *Non*  
*puto.* Theodorus: *Ergo, contra Dei*  
*præceptum polygamiam licitam fecistis,*  
*ut carni vestræ blandiremini, (\*) post-*  
*quam genus humanum in toto orbe ter-*  
 Ff 5 rarum

(\*) Auctor Libelli: L' Esprit des Loix, feu *Spiritus Legum*, quem R. P. Desing anno 1752. refutavit, putat, causam hujus rei, quod populi ad Orientem positi plures uxores accipiant, tum in principiis mere politicis, tum in Astro- rum influxu esse quærendam. At non reperi- mus, Polygamiam ante adventum Mahometis magis in Oriente, quam in Occidente inter Gen- tes fuisse frequentem; deinde, Religione Jesu Christi, quæ in primis sæculis multo latius in Oriente, quam in Occidente prolata est, in to- to orbe promulgata, omnes Fideles huic Legi promprissime se submiserunt, nec ullus Summo- rum Pontificum, aut Regum Christianorum in hoc præcepto dispensasse legitur, nisi solus Lu- therus cum paucis Collegis suis, cum cuidam magno in Germania Principi præter unam etiam alteram uxorem, dato Decreto, permisit, quod in alio loco memoravimus.



Sæculum IX. *rarum satis esset propagatum, & Mundi*  
 A.C 870. *hujus Creator illo tempore, quo pau-*  
*cissimi erant homines, virum una uxore,*  
*contentum esse præcepisset. Musulman-*  
*no aliud argumentum expetente Episco-*  
*pus dixit: Ponamus duo mancipia unius*  
*Domini, quo jubente, simul in externas*  
*regiones iter suscipiunt. Uni tribuit li-*  
*centiam corpus suum muniendi vestimen-*  
*tis, prout lubuerit, alteri prohibet, ne*  
*pluribus quam una utatur tunica, &*  
*ambobus unam legem promulgat; illud*  
*quod frigore vexaretur octoginta plagis*  
*vapulaturum. An hujus Domini lex ju-*  
*sta tibi videtur? præsertim si partem*  
*debiliorem unica tunica contentam esse*  
*jusserit? Mahometanus: Non est justa.*  
*Tunc Episcopus: Ergo justum esse negas*  
*Deum, cum dicis, quod mulierem, uti-*  
*que fragiliorem, uno viro, id est quarta*  
*parte, contentam esse præceperit, & vi-*  
*ro, haud dubie fortiori, quatuor mulie-*  
*res, id est totum, ut de concubinarum gre-*  
*ge nihil dicam, concesserit, comminatus*  
*octoginta plagarum supplicium, si vir vel*  
*mulier lapsa fuerit. Episcopus in hac*  
*argumentatione opportune admodum*  
*similitudinem a vestimentis petiit, hac*  
*ipsa enim Mahometes in Alcorano suo*  
*sæpissime utitur, cum dicit: Tam neces-*  
*sariæ vobis sunt uxores vestræ, quam*  
*vestimenta vestra.*

Novum

Novum argumentum. Theodorus: *Sæculum IX.*

*An Deus pacis vel belli amator est? Mahometanus: Sine dubio pacem amat.* A. C. 870.

Theodorus: *An vero putas virum plures uxores habentem potius pace frui posse, quam alium, qui unam feminam alit? possuntne hæc feminae sincero amore se amplecti? Mahometanus: Non possunt.* Theodorus: *Quoties marito & invisis tori consortibus veneficiis insidiantur? An non familias odio perpetuo perturbant? Cum econtra viri unius & unius feminae conjugium antea divisas reconciliare soleat? Ergo honestas & lex naturæ Monogamiam damnata Polygamia commendant.*

Alia die Musulmannorum aliquis ad Episcopum: *Cur vos Sacerdotes Christianis nimium quantum illuditis? Ex eadem farina duos panes coquitis, unum ut alimentum vulgare servatis, alterum populo porrigitis, divisum in buccellas, quas Jesu Christi corpus appellatis, & dicitis, quod remissionem peccatorum possit tribuere. Edicite, an vos ipsi fallimini, vel alios fallitis? Theodorus: Neutrum. Nec fallimur, nec fallimus. Mahometanus: Istud mihi demonstres velim, non ex Scripturis, sed ex argumentis a sana ratione petitis. Episcopus: An mater tua ista, qua incedis, statura corporis te in lucem edidit? Mahometanus:*

c. 22.

Transsubstantiatio in Eucharistia.

Sæculum IX. hometanus: *Neutiquam. Sed tunc par-*  
A. C. 870. *vus eram.* Episcopus: *Quomodo ergo*  
*in hanc molem excrevist?* Mahometanus: *Per alimentum & Dei voluntatem.*  
 Episcopus: *Ergo panis mutatus est in*  
*corpus tuum?* Mahometanus: *Ita est.*  
 Episcopus: *Quomodo hoc factum?* Ma-  
 hometanus: *Modum nescio.* Episcopus:  
*Nempe cibus, ore acceptus, descendit in*  
*stomachum, & calore jecoris, stomacho*  
*proxime adjacentis, mutatur in chylum,*  
*qui sanguini mixtus per venas in omnes*  
*corporis partes diffunditur. Concipe,*  
*Mysterium nostrum eadem ratione per-*  
*agi. Sacerdos supra Sacram mensam pa-*  
*nem & vinum ponit, orat, ad hanc in-*  
*vocationem Spiritus Sanctus descendit in*  
*oblata, & igne Divinitatis suæ panem*  
*& vinum in corpus & sanguinem Jesu*  
*Christi mutat. (\*) Vel, an negas Spiri-*  
*tum Sanctum id posse efficere, quod præ-*  
*stat calor jecoris tui?* Mahometanus cum  
 gemitu respondit: *Non nego, & conti-*  
 cuit. Quidquid de eo sit, an hæc argu-  
 mentatio a simili in regulas Dialecticæ  
 pec-

(\*) Nihil habent Protestantes, quo ejus-  
 modi testimonia clarissima de Transsubstantia-  
 tione eludant. Hinc ridendi sunt Cave, & qui  
 Fleurium in linguam vernaculam vertere cœ-  
 pit Protestans, cum hæc doctrinam novam esse  
 frivole affirmant.

peccet nec ne; illud tamen luculenter videmus, quam fidem de Evcharistia Theodorus tenuerit.

Inter opera Theodori Abucaræ refertur ampla Epistola Dogmatica, a Thoma Patriarcha Jerosolymitano ad Hæreticos Armeniæ missa. Hanc Theodorus Arabice dictavit, & Michael Presbyter Syncellus in Græcum transtulit. Continet vero Doctrinam de Incarnatione, atque Concilium Chalcedonense defendit. Ceterum si hæc Epistola opus est illius Theodori, qui Synodo VIII. interfuit, ad ultimam usque senectutem pervenerit necesse est, nam Thomas Patriarcha Jerosolymitanus annis prope quinquaginta, priusquam octava Synodus celebraretur, fatis functus est.

## §. LIII.

*Normanni in Anglia.*

Inter hæc Normanni, seu Dani, Angliam barbaramente depopulabantur. Hi quidem jam regnante Rege Ethelulfo in illa Insula grassari cœperant, succedentibus vero tribus ejus filiis Ethelbaldo, Ethelberto, & Ethelredo, cum regnum pæne sine custode esset, anno octingentesimo sexagesimo septimo in Angliam Orientalem appulsi, inde in Northumbriam penetrarunt, & capto Eboraco

Sæculum IX.  
A. C. 870.

c. 4.

Sup. Lib.  
XLV. §. 56.

Wil. Mal-  
mesb. p. 42.

Ingulf. p. 863

Sæculum IX. raso totam illam vastarunt provinciam.  
 A. C. 870. Præter alia Monasterium Bardenejense,

*Math. West.*  
*an. 870.*

omnibus Monachis in Ecclesia interfectis, subverterunt. Anno octingentesimo septuagesimo, cum iterum pluribus quam antea copiis, ducentibus aliquot Principibus, quorum præcipui *Unguar & Hubba* fuere, irrupissent, totamque regionem sui nominis terrore implessent, Ebba Monasterii Collinghamensis Abbatissa, collectis in Capitulo suis Monialibus, *Sorores dilectissimæ*, inquit, *si mihi obsequi vultis, ostendam modum, qui vos a Barbarorum petulantia tutas præstabit.* Cunctis obedientiam pollicitantibus, Abbatissa arrepta novacula nares & labrum superius, ita ut dentes conspicerentur, sibi ipsi præcidit. Matris exemplum secutæ sunt Sorores omnes, & altera die irruentes Normanni, cum horridos foeminarum vultus non ferrent, libidine in rabiem versa Monasterium unacum inclusis Sororibus concremarunt.

*Sup. lib.*  
*XXXVIII.*  
*§. 19.*

In eadem expeditione Normanni alia quoque celebrata illius oræ monasteria destruxerunt, nempe Lindisfarnense, in quo erat Sedes Episcopalis, ut superius retulimus, Tynemutense, Jaroviense, & Virmutense, quæ Beda reddiderat celeberrima. Item Monasteria  
 foemi-

foeminarum Streneshalense & Æliense, Sæculum IX.  
 occisis omnibus Sororibus, vastarunt. A. C. 870.  
 Tandem Edmundus Rex Angliæ Orientalis a Barbaris captus, arbori alligatur, *Mart. Rom.*  
 sagittis trajicitur, & capite truncatur die *20. Nov.*  
 vigesima Novembris, qua eum Ecclesia  
 Martyrem veneratur.

## §. XLIV.

*Monasterii Crulandensis everfio.*

Theodorus Abbas ab annis sexaginta  
 duobus Monasterium Crulandense *Ingulf. p. 868.*  
 in regione Merciorum regens, cum funestæ stragis nuncium fuisset allatum, fufas esse copias, quæ Normannos a patria arcere debuissent, retentis secum senibus & infantibus, quippe imbellem eorum ætatem tutam credebat a paganorum crudelitate, robustiores dimisit, jussitque, ut Reliquias, videlicet corpus S. Guthlaci, ejus flagellum & psalterium, cimelia & chartas Monasterii auferrent, seque ipsos in proxima silva occultarent, ubi expectarent belli eventum. Igitur triginta numero Monachi, quorum decem erant Presbyteri, cum res memoratas rati imposuissent, fugerunt. Vasa sacra in fontem Claustrum conjecta, & tabula majoris Altaris aureis laminis contecta, Regis Vitlasi donum, defossa est. Ceterum fugitivi quatri-

Sæculum IX. quatruiduo in illis latibulis commorati  
 A. C. 870. sunt.

Interim Theodorus Abbas ceterique in Monasterio relictæ, sacris induti vestibus horas Divini Officii in Choro & deinde totum psalterium persolvunt. Tum Abbas majorem Missam celebrat, & cum ipse omnesque ei ad Altare ministrantes communicassent, in Ecclesiam irrumpunt Pagani, Osketulo Ducum unus super Altare sua manu Abbatem obtruncat, ministri omnes ab aliis capite plectuntur. Senes ac pueri, hac illacque diffugientes, capti tormentis excruciantur, ut absconfos thesauros proderent. Tugarus decem annorum adolescens, cum Monasterii Subpriorem in refectorio jugulari videret, rogabat carnifices, ut se carissimo patri jungerent. Hunc vero Normannus Comes nomine Sidro-cus pueri, nam formosissimus erat, miseratus, detracto cucullo, humeros pallio Danico operire, seque ad castra sequi iussit. Is solus ex illa cæde superstes fuit. Pagani, occisis monachis, cum thesauros nequaquam reperissent, sepulchra marmorea Sanctorum, qui utrinque circum S. Guthlaci tumulum jacebant, confringunt. Tum, ubi nihil præter ossa inveniunt, furore insanientes, omnia in unum acervum congerunt, & in favillas redigunt.

gunt. Libros quoque Sacros, Ecclesiam & omnia Monasterii ædificia igne subiecto consumunt. Id factum vigesima sexta Augusti anno octingentesimo septuagesimo, tertio quam eo advenerant die.

Sæculum IX.  
A. C. 870.

Postridie Barbari ad cœnobium Medeshamstedense contenderunt, ubi portas clausas & viros, qui locum tuerentur, habuerunt. Ergo admovent muris machinas, cumque secundo assultu Comitis Hubbæ frater coniecto saxo ab obsessis graviter ictus fuisset, Hubba ira exæstuans obvios quosque ejus loci monachos interfecit. Omnes vero ad unum Monachi numero octoginta quatuor cæsi. Altaria omnia everfa, sepulchra confracta, Bibliotheca locupletissima combusta, dilacerata monumenta, Reliquiæ pedibus conculcatæ, muri, diruti, ipsaque Ecclesia cum cunctis officinis flammis consumpta. Ante quindecim dierum lapsus ignis extingui non potuit.

Tugarus puer, clam aufugiens, Cruandam rediit, ubi triginta Monachos a fuga reversos invenit, omnibus viribus ignem extinguere conantes in ruderibus monasterii serpentem. Is tristem rei seriem, quomodo Abbas, & ceteri necati fuissent cum omnibus nefandæ cladis adjunctis narravit. Monachi,

*Hist. Eccles. Tom. XII.*

G g con-



Sæculum IX. continuato per octiduum labore, tandem prope Altare Theodori Abbatis corpus sine capite, omni velamento spoliatum, fœde ustulatum, tignorum ruina contritum, & terræ infixum inveniunt. Ita etiam corpora ceterorum diversis temporibus & sæpe remota a locis, in quibus occisi fuerant, reperta sunt. Duorum Monachorum, qui ætatis annos centum & ultra numerabant, corpora recepta sunt in Locutorio. Erat hic locus, in quo tempore, a Regula statuto, colloqui licebat. Ex isto exemplo judicare Lector potest, quid in aliis Monasteriis, quocumque Barbari pervenerunt, Monachi passi fuerint.

## §. LV.

*Sandus Neotus.*

*Art. SS. Be.* In alia Angliæ parte, paganorum incur-  
*to. 6. p. 324.* sibus minus obnoxia, nempe in regno Angliæ Occidentalis, illa tempestate degerebat Neotus Abbas summa virtute conspicuus. Qui Regum sanguine ortus, in literis & pietate postmodum ita profecit, ut cum ad ætatem pervenisset, qua juvenes militiæ nomen dare solebant, relicta sæculi pompa vitam monasticam in Glastoniensi canobio amplecti mallet. Ibi complures annos ne-  
 mini extra monasterium notus exegit;  
 quin

quin imo latendi studio, ut etiam fra-  
 tres falleret, mutato sæpe habitu in Ec-  
 clesia orans pernoctabat, & rediens ve-  
 stem, cui adsueverat, resumebat. Cum  
 viri merita cognovisset Episcopus accer-  
 situm Ordine Diaconatus insignivit. Po-  
 stea rogantibus Monachis & Clericis  
 Presbyter, quamvis magnopere relucta-  
 retur, ordinatus, quia exiguus corpore  
 erat, cum celebraret Missam, insistebat  
 scabello ferreo, quod inter sacras reli-  
 quias deinde asservatum. Monita salu-  
 taria compluribus dabat, & clarebat mi-  
 raculis; sed ut famæ celebritatem ef-  
 fugeret, comitante unico fideli discipu-  
 lo Barrio, qui eum deinde nec in vita  
 nec in morte deseruit, Glastonia ex-  
 cessit.

Relicto igitur monasterio in Cornu-  
 biam comieavit, ubi postquam aliquam-  
 diu per silvas & montes errasset, in  
 loco, qui de ejus nomine *Neotestom*  
 vulgo dictus, substitit, cumque ibi no-  
 vo fervore septem annorum spatio Deo  
 serviisset, Romam se contulit, atque  
 Pontificis Benedictionem & prædicandi  
 mandatum accepit. Reversus in pa-  
 triam, quo pluribus prodesset, noluit  
 solus vitam degere & Monasterium con-  
 struere cœpit in loco, quo se primo re-  
 ceperat. Eo itaque duce Institutum

Sæculum IX. Monasticum in illa regione collapsum  
A. C. 870. re floruit; nam Viri sancti fama magnam  
 Discipulorum multitudinem adduxit,  
 complures nobiles sponte se ipsius di-  
 sciplinæ subjecerunt, multi filios suos  
 obtulerunt. Ipse vero de rigore vitæ  
 nihil relaxans, & sæpe hyberno tempo-  
 re in fonte existens totum psalterium  
 recitabat. Complura ab eo edita  
 narrantur miracula; dies autem obitus  
 trigesima prima Julii anno octingenta-  
 simo septuagesimo septimo  
 fuisse creditur.

